
R. FLUDD.

Veritatis Proscenium

1621

K 2327 2329 Ebert. S. 612
N. IX №. 6
7/f
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 512, 513
COLLECTION



I EX LIBRIS D
Dr. ERNST DARMSTAEDTER

Darmstaedter

70396(1)

VERITATIS PROSCENIUM,

in quo

AULÆUM ERRORIS TRAGICUM DIMOVETUR, SIparium ignorantiæ ſcenicum complicatur, ipſaque veritas à ſuo miniſtro in publicum producitur,

Seu

DEMONSTRATIO QUÆDAM ANALYTICA,

IN QUA

CUILIBET COMPARATIONIS PARTICULÆ, IN Appendice quadam à JOANNE KEPPLERO*, nuper in fine* HARMONIAE *ſuæ* MUNDANAE *editâ, factæ inter Harmoniam ſuam mundanam, & illam* ROBERTI FLUDD*, ipſiſsimis veritatis argumentis reſpondetur;*

AUTHORE

ROBERTO FLUDD, aliâs de Fluctibus.



FRANCOFURTI,

Typis ERASMI KEMPFFERI,

Sumptibus JOAN. THEODOR. DE BRY.

Anno M. DC. XXI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DECLARATIO ANALYTICA,

In qua

VNICVIQVE COMPARATIONIS ILLIVS PARTICVLÆ, quam nuper Ioannes Kepplerus in fine Harmoniæ ſuæ mundanæ, ſub Appendicis titulo, inter eandem illam ſuam & meam Harmoniam mundanam inſtituit, ipſißimis veritatis argumentis reſpondetur.

PICTORES ingenio quidem ſolertiores colorem ſolent peſſimum, ſenſuique iniucundiſſimum ideo extra ſui artificii margines obiicere, vt illud oculis animoque ſpectatoris magis gratum atque delectabile reddant: Nec tamen propterea ita eorum aſtutiis vmbriſue præſtigioſis obuelatur ſapientis intuitus, vt minus queat de coloribus quam rectiſſime iudicare, cygnique albedinem etiam per ipſum tenebrarum velum à corui nigredine diſtinguere. Veruntamen hæc pictorum ſubtilitas propter animi mei ſimplicitatem, vel (vt rectius dicam) ingenii tenuitatem mihi ſemper abſuit, vt ſcilicet vitioſâ colorum aliorum obſcuritate errores meos (quos fateor eſſe forſan haud exiguos) fronte dura atque audaci obducerem, aut gradu aliquo comparatiuo facta aut ſcripta mea, vana gloria aut philautia elatus, laudis alterius detrimento aut famæ honeſtæ depreſſione extollerem: Vtriuſque, inquam, coloris diſcrepantiam procul dubio facient vere literati cauſamque vtriuſque iuſtitiæ trutinis ponderabunt vere ſapientes, nec, in cauſa propria vt quis ſibi ſit iudex; operumue præconia aliorum iniuriis celebret oreque iniuſto ebuccinet, ſiue æquum, ſiue honeſtum eſſe reputabunt. Quicquid ego feci aut mundo more publico expoſui, ſimpliciter illud quidem, animoque ſinceritate pleno, populo vt placeret docto, ad fœlicem exitum (vti ſpero) pertexui; & non quidem, vt quenquam, vel clanculo vel aperte vituperando, malo aut ſermone temerario aut calumniis afficerem aut in quenquam dicacule probrum dicerem; quippe qui cynico more agere nunquam affectaui, quo dente ſeu ærugine inuidiæ cuiuſpiam famam eroderem, aut alterius dedecore inclytam, imo vero vanam mihi gloriam condere, laudeſue male partas accumularem. Hinc ergo eſt, vt paucis comparationi, Ioannis Keppleri inter Harmoniã meam mundanam non diu ab hinc publicatam, & ipſius nouiter in lucem editam hoc in loco replicare, omni amaritudine ſepoſita, mihi propoſuerim, quo liquidius res nonnullas in Appendice Ioannis Keppleri ſubtiliter, & tamen ſerena quodammodo fronte, obiectas mediis directis, & quidem ordine ſucceſſiuo in illum ipſum retorqueam.

JOANNIS KEPPLERI,

TEXTUS I.

Atque hic ſummam appendicis in veſtibulo libri V. promiſſæ finirem: niſi me rerum affinitas inuitaret ad ſatisfaciendum etiam iis, qui à me contenderunt, vt D. Roberti de Fluctibus, Medici Oxonienſis, qui librum ab hinc anno de Microcoſmo & Macrocoſmo editum Harmonicis contemplationibus impleuit, mentionem in meo opere Harmonico ne omitterem; ſed oſtenderem lectori paucis, quibus in rebus inter me & illum conueniret, quibus viciſſim diſſideremus.

ROBERTI FLVDD

ANALYSIS.

SImili plane modo Tractatum hunc meum Appendice omiſſa libenter terminaſſem, niſi gratiam iridem quibuſdam amicorum meorum ſimilem conferre, iiſque in multis comparationis Harmoniæ Ioannis cum mea locis (vbi acriter, licet occulte me inſcitiæ, neſcio cuius, accuſare videtur) ſatisfacere ciuilis erga eos me iuberet reſpectus & honeſta famæ meæ bonæ muniendæ neceſſitas vrgeret. Quanta igitur ſit inter Harmonias noſtras ſympathia, quantaque antipathia in ſuccedentibus ipſe pertractare videtur, egoque eius tractus pedetentim inſequens ſubiecti iſtius medullam leuiter quidem, ſed nucleo tenus examinare mihi propoſui.

TEXTUS II.

Author ille duos tomos eſt pollicitus, quorum unus de Macrocoſmo inſcriptus iam lucem videt; Alter de Microcoſmo adhuc expectatur. Prior tomus tractatus duos complexus diſtinctis etiam temporibus prodijt: Nam primum Tractatum de mundo triplici poſt nundinas Francofurtenſes autumnales anni 1617*. alterum de artibus, quas naturæ mundanæ ſimias vocat, Paſchalibus nundinis anni ſequentis* 1618*. vidi.*

ANALYSIS.

NOn quidem ideo ſubalternatim editæ ſunt duæ illæ diuiſæ Tomi mei prioris ſoboles, quia ambæ ante annum 1617. non eſſent pertextæ; imo vero, Tomi illius primi ſubiectum per ſeptennium ante eiuſdem in publicum promulgationem completum & ad exitum fælicem perductum fuiſſe Lectorem ſcire velim. Nec quidem etiam vna eiuſdem portio ſine altera ad manus Typographi peruenit; ſed in animo eius erat; (vt mihi videbatur) ſiue maioris lucri cauſa, ſiue temporis anguſtia ad hoc compellente, vt partem vnam Tomi eiuſdem poſt alteram, hoc eſt, nundinis ſucceſſiuis ederet. Quod ad primum Microcoſmi mei volumen attinet, in re eadem tam ſecundum naturã quam artem verſatum, ad completam certe eiuſdem compoſitionem non 22. annorum interuallum requiſiui, quod quidem Ioannes Kepplerus ad Harmoniæ ſuæ complementum ſe accepiſſe fatetur, ſed opus illud anno 1618. circa feſtum S. Michaëlis occepi, & ſolis lucubrationibus nocturnis, nullo in diurna profeſſione & praxi mea impedimento infeſtante, ſed contemplatione placida concomitante, ante anni eiuſdem Quadrageſimam fæliciter pertexui: Ignoſcant ergo Lectores iuſtitiæ alis elati, ſi in illa tam rapida rerum tantarum accumulatione ingentes fortaſſis in opus illud noſtrum, me velociter magni momenti argumenta prætereunte, irrepſerint errores, aut alias etiam illud non ſit vel methodo tam exactum, vel à vitiis ita repurgatum, vti iſtud Ioannis Keppleri tanto temporis lapſu iterũ iterumque reuiſum, tantaque cimentatione & fermentatione examinatum & ſublimatum; quoniam incorrecta temporis ætate reddũtur correctiſſima, cruda efficiuntur matura & imperfecta ad perfectionis metam complete perducuntur. Nec tamen interim me aliquid ſiue in Macrocoſmi ſiue in Microcoſmi hiſtoria in lucem produxiſſe ſpero, quod humeris quidem Atlanticis ſuſtinere, ſcriptiſque publicis contra cuiuſpiam oppoſitiones defendere non ſim potens: Nam quicquid fere à me dictum eſt, illud ſane tum rationibus philoſophiæ ſtipatis, quatenus certis experientiæ fulcimentis non indiget, tum etiam autoritate Philoſophorum, & Theoſophorum veterum confirmatione, ac denique, quod omnium eſt certiſſimum, demonſtrationum ocularium variæque experientiæ teſtimoniis rectum & ſincerum eſſe, in iiſdem meis operibus comprobare haud dubito.

TEXTUS III.

In altero igitur tractatu inter artes collocauit & Muſicam complexus materiam libri mei tertij quadantenus: in priore vero tractatu, qui 7*. libris abſoluitur, tertium librum deſtinauit Muſicæ mundanæ, titulum eundem vſurpans, quem ego toti meo operi præfixi: materiam vero libri mei IV. & V. attigit.*

ANALYSIS.

HIc præpoſtere agit Author, numerando caudam priuſquam vllam capitis mentionem facit, Muſicam meam artificialem introducens vbi de illa naturali atque Phyſica tantummodo cau-

flagitur: Sic enim iubet campi ſeu areæ in Appendicis eius ſubiecto ſterilitas: Stet igitur pro ratio-ne voluntas. Hunc autem textum in portiunculas duas diuidere videtur;in Muſicæ ſcilicet meæ arti-ficialis comparationem cum *libro* ſuæ Harmoniæ *tertio*, quam ex gratia cum inſtituto ſuo quadrante-nus conuenire agnoſcit; & in Muſicæ meæ mundanæ inquiſitionem: in quo quidem textus ſui mem-bro quodammodo indicare videtur, me titulum eundem *libro tertio Phyſicorum* meorū dediſſe; quem ipſe ſuo integro tractatui: Vnde nomine vſurpationis vſus eſt non modo in huius contextus area, ſed etiam in aliis ſuæ Appendicis locis: quod quidem vocabulum vt plurimum in parte deteriori ſumi aſſolet, cum ſcilicet quis indigne dignitatis & honoris alterius titulum ſibi tribuere & aſſignare co-natur: Sed efficiam, ſpero, vt author ſua philautia elatus intelligat; hunc titulum tam mihi, quam ipſi pari ſaltem iure conuenire ac deberi.

Ad primam ergo partem quod attinet, vbi Muſicam meam artificialem ſui *libri tertij* materiam ſeu ſubiectum amplecti docet, illam non modo vim iſtius *libri tertij*, verum etiam totam Muſicæ ſci-entiæ in abſtracto virtutem ſeu eſſentiam, atque etiam tam eius Theoriam quam praxin includere atque comprehendere dicimus. In *libro* ergo eius *tertio* primum de Muſicæ inuentione ex marculo-rum ictibus, deinde ex chordarum proportione quodammodo tractare videtur: Hoc etiam ego bre-uiter oſtendi *libro ſexto Arithmeticæ* meæ, vbi *cap.1.& 2.* de chordæ monochordi diuiſione diſceptaui, & de marculorum conſonantium proportione egi. Ipſe *libro eodem cap. 2.* de Harmonica chordæ ſectio-ne, & de multis mentionem fecit proportionibus, & verbis quidem nimis copioſis: Ego vero hoc to-tum & infinita alia chordæ diuiſionis myſteria in mea templi Muſici columna more hieroglyphico detexi, verbiſque paucis *libro eiuſdem tractatus tertio* enodaui: Medietates etiam harmonicas & earum rationem, de quibus ipſe non niſi ſuperficialiter *cap.3 .eiuſdem*, tam in *illo* meo *libro*, quam *quinto* copio-ſiſſime; quamuis verbis concinnioribus tradidi: Quod vero attinet ad ceñſuram de ortu concinno-rum interuallorum, quæ ego ſimplicia & conſona dixi, de quo ipſe *cap. 4. lib. 3.* Ego vero *cap. 1. 2. & 3. libri mei tertij* verba feci, ſub iudice quidem lis eſt: Quare huius rei cauſam *infra* ſuo loco diſcutiemus. Conſonorum etiam interuallorum medullam putat & conatur ipſe exprimere; ac in ſua interualla concinniora diuidere *cap.5.libri illius*: Nos vero hoc idem complete fecimus in *capitibus 4. 5. & 6. eiuſ-dem libri*, &, quod amplius eſt, certiſſimam eorum inueniendorum ex chordæ monochordi exami-natione rationem oſtendimus, quemadmodum praxi & experientia nos quidem quam exactiſſime comprobauimus: Ibi etiam vim vniuerſam tum *capitis* eius 7. explicuimus, vbi de Octauæ ſectione in vtroque genere cantus agitur, tum etiam de numero & ordine minimorum interuallorū vnius Dia-paſon, quod eſt ſubiectum *capitis* eius 8. de quo itidem & regula 5. *cap. 1. libri* mei 3. dictum eſt, ſimul atque de vera Diapaſon inuentione in monochordo; de qua ipſe in chordæ ſectione non niſi obſcu-re egit. Monochordum etiam complete ſecuimus in ſuas proportiones & conſonantias; hocque mo-dis variis *eodem libro* expreſſis: in qua e tiā operatione vim *capitis eius* 9. coarctauimus, quod Diagram-ma, ſeu chordarum, ſeu vocum denotationem modernam per literas Alphabeti, & lineas tractat, vbi etiam notulas artis ſimul atque ſyſtema infert: Quæ omnia ipſe multa locutione, multisque foliis, at-que confuſiori modo tradit; ego vero in paruulum redegi locum, ſpeculum quaſi politiſſimum cō-ſlando, in quo vniuerſam conſonantiarum & proportionum interuallorum Muſicalium metho-dum apertis quidem oculis videre & contueri liceat: Vſum etiam ſyllabarum; de quo ipſe mentio-nem fecit *cap.10.eiuſdem libri* nos quidem verbis planiſſimis *lib. 2.* eiuſdem ſubiecti enucleauimus, ea-rumque rationem Diagrammate haud ſpernendo demonſtrauimus. Syſtematis quoque compoſitio-nem integram, de qua ille *cap.11.* ego quidem luculentiſſime *dicto loco* ex templi mei architectura extra-xi; cuius formulam *cap.1.lib.mei 2.* diagrammatice in forma haud contemnenda delineaui: Scalam et-iam tam duram quam mollem cum clauibus tam acutis quam grauibus, & cum vocis ad vnam vel alteram applicatione eo loco reperietis; Simul quoque inuentionem exactiſſimam B quadrati & ro-tundi in monochordo, & eam quidem clariorem, quam apud illum inuenimus: Cantus etiam natu-ralis (de quo ipſe *cap.13.*) in eodem meo libello reperitur ratio; quam quidem more hieroglyphico ſub turri acuta in templi mei ſtructura luculenter depinximus: De modis melodiarum ipſe ſuo modo mentionem fecit *cap.14.15.* de quibus ego *libro meo 4. cap. 8.* Cantus harmoniam docet *cap. 16.* ſimiliterque de tribus medietatibus in cantu agit: ego totum hoc ab effectu oſtendo per *totum* fere *librum 5.* Quod igitur ille multis verbis & longa oratione expreſſit, hoc ego breuibus contraxi, figu-risque hieroglyphicis & valde ſignificantibus explicaui; non ſane ideo, quia picturis delector (vt i-pſe alibi dicit,) ſed quoniam multa paucis congregare, & more Chymicorum (quippe quem cum Chymicis & Hermeticis verſari infra innuere videtur) extractam eſſentiam colligere; fæculentam vero ſubſtantiam reiicere, & quod bonum eſt in ſuo proprio vaſculo collocare decreueram, vt de-tecto ſciſcientiæ arcano occultum manifeſtaretur; reique natura interna exutis veſtibus; more gem-mæ pretioſæ aureo annulo inſertæ, figuræ naturæ ſuæ magis aptæ includeretur, in qua eius virtus, tan-quam in ſpeculo, abſque verborum plurimorum circuitione oculo & animo conſpiceretur. Porro ſubiecti neceſſitas, vt de qualibet ſcientia arcte & ſuccincte ſcriberem, iubebat & ſuadebat ratio. His ergo ſimul collectis manifeſtum eſt, ſubiectum Muſices meæ artificialis latius ſuos margines expor-

rectos habere, quam vt ſub *libro* Authoris *tertio* comprehendatur: Sed de his *infra* copioſius. Secundæ Textus eius parti hoc in loco reſpondere non eſt opus, quod ad Lectori hac in re ſatisfaciendum ampliſſima ſe offeret in *ſequentibus* occaſio.

TEXTVS IV.

Igitur ab eius Muſica artificiali faciamus initium: Tradit illam libris 7. In quorum primo recenſet authores, & nomenclaturas, & vim in animos hominum. De Authoribus ſeu Muſices inuentoribus ego nihil, vel certe pauca; quippe meum intentum eſt rerum naturalium cauſas aperire.

ANALYSIS.

AT vero cum in contextus iſtius *fine* intentionem ſuam fuiſſe rerum naturalium cauſas aperire contendat, & *infra*, ſe ſubiectum ſuæ Muſices non à veteribus accepiſſe, ſed à rerum natura eruiſſe, & ab ipſis fundamentis conſtituiſſe aſſeueret; cur comparationes ſuas phyſicas ſeu naturales artificialibus referre, aut Muſicam ſuam naturalem cum mea, quam ipſe expreſſis verbis agnoſcit eſſe artificialem, comparare aggreditur, cùm nulla fieri ſoleat recta inter concreta & abſtracta relatio? De Authoribus etiam ſe nihil vel certe perpauca egiſſe narrat; ac ſi illud in me eſſet ſuperfluum: Et tamen, ſaluâ eius gratia inuenimus in ſcriptis eius, ipſum plura de Muſices Authoribus proponere, quam ego feci: Nam in *libri tertij primordio* mentionem facit de Iubale, quem Moyſes pro primo inſtrumentorum Muſicalium ſeu chordarum inuentore numerat: Hunc ipſe pro Apolline accipit; eiuſque fratrem Iabalem fiſtulæ inuentorem facit. Deinde ait, Pythagoram ex marculorum ictibus Muſicæ conſonantias & proportiones deriuaſſe, quas ſtatim ad chordarum menſuras & ſectiones, ſeu differentias ſonorum tranſtulerit. Hos ego etiam Muſicæ inuentores nominaui in meo *primo libro*; atq; ob hanc quidē cauſam Pythagoram in Templo meo Muſico ſub arcu duabus columnis ſtatuminato fabros ferrarios marculis ferrum percutientes intuentem depinxi. Deniq; quomodo Authoris intentio in rerum naturalium manifeſtationis complemento operata ſit, *infra* latius narrabo.

TEXTVS V.

In ſecundo Author res ipſas aggreditur, quas dicit Interualla & Tempora. Rurſum ego de temporibus ſeu longitudine vel breuitate ſonorum nihil admodum dixi: ſunt enim arbitrariæ, nec indigent inquiſitione cauſarum.

ANALYSIS.

EST tamen rationi conſentaneum, vt cum interuallis Harmonicis tempora iungamus, ſine quibus non fit motus ſymphoniacus: Nam proportio exactiſſima reſpicienda eſt tā in temporis, quam chordæ ſeu lineæ dimenſionis menſura, cum non fiat motus, cuius actione ſonet Muſica, ſine tempore: Vnde tempus non inepte definitur *motus menſura* non in eodem momento, ſed *ſecundum prius*, id eſt, præteritum, *& poſterius*, id eſt, futurum, *cum fluxu ſuo præſenti*, hoc eſt, cum momento vel minuto temporis præſentis, quod, *Nunc* appellatur. Vnde miror ego vehementer, quod Author, cùm de Muſica ſeu Harmonia præciſe egerit, ſe de Temporibus, ſeu longitudine vel brevitate ſonorum nihil admodum dixiſſe fatetur, cùm ratione prædicta abſque tempore de motu nihil ſit dicendum. At Harmoniæ ſuæ Mundanæ ſubiectum reales eſſe Planetarum motus in *poſteriori Appendicis* ſuæ *parte*, & paſſim in *libro ſuo quinto* agnoſcit. Motum autem definiunt Phyſici *progreſſionem ſubiecti mobilis de potentia in actum*: quæ quidem translatio tempore numeratur. Cur igitur tempora ſeu longitudinem & brevitatem ſonorum omiſit, cum ſine ijs plane manca & deficiens ſit Muſica cuiuſcunque ſpeciei, ſiue ſit in abſtracto ſeu mere mathematica, ſive in concreto, hoc eſt, in Phyſicis conſiderata? Nam diligenti rerum inquiſitione præeunte, quid harmoniam in ſuperioribus producere ſolet præter varietatem motuum corporum cœleſtium? Nonne igitur ipſe tonos graues tam in primordio *libri* ſui *primi*, quàm in multis *quinti* locis Saturno attribuit? Unde figuram Cubicam quaſi omnium graviſſimam propter ſtellæ illius in motu tarditatem, & cum terra cognationem ei aſſignavit, & tetrahedron, quod magnitudine proxime accedit ad Cubum inter Jovem & Martem poſuit, Octohedron verò Mercurio, Icoſaedron Veneri, Dodecaedron terræ, tanquam in creatione deſtinata fecit, inde arguendo videlicet per varias illorum corporum Geometricorum proportiones conſonantiarum Planetariarum differentias. Vnde enim Saturni gravitatem collegit, niſi à motu eius tardo, Jovis proximitatem ad eum propter contactum Cubi, niſi quod Jupiter Saturno gravitate motus proximus eſſet,

eſſet,& ſic in cæteris? Motum naturalem Saturni ſecundum veterum ſententiam ſpatio 30. annorum completum eſſe; illum Jovis annis ferme duodecim iter perficere; Martem ſpatio duorum fere annorum cum quinque menſibus Zodiacum percurrere, Solem eclipticam diebus 365. cum ſex fere horis peragrare, Venerem ferme ad motum Solis Zodiacum permeare,atque etiam Mercurium, Lunam Zodiaci gradus omnes naturali motu circiter 28.dies tranſire cognoſcimus. Porro etiam ratione motuum præcedentium cognoſcimus motum medium Saturni; qui ab antiquis *motus eius deferens* nuncupatur,ſuper axe ſuo proprio axem Zodiaci ſive eclipticæ ſecantem,ſecundum ſignorum ſucceſſionem movere duobus fere minutis quotidie: At vero motum eiuſdem propter orbes augem Saturni deferentes factum, qui fit proportionaliter ſuper axe & polis eclipticæ octavæ ſphæræ,ad motum eiuſdem,ducentis ſcilicet annis,gradu uno,& viginti; circiter minutis fieri volunt: Sic dicũt, eundem quaſi motum eſſe Jovis reſpectu orbium Augem deferentium, qui Saturni nempe gr. 1. min.28.Deferens vero eius motus ſuper axe & polis propriis eſt motu medio Saturni longe velocior; quippe quo movetur Jupiter naturaliter quotidie 5 fere minutis: qua quidem proportione neceſſe eſt,ut Zodiacum tempore prædicto percurrat, nempe ſpatio 12.annorum. Movetur etiam Mars ad motum orbium deferentium tempore eodem cum Saturno & Jove: At motu ſuo proprio quotidie perficit circiter minutas 30.qua quidem proportione complere dicitur Zodiaci ambitum annis ferme duobus,cum 5.menſibus.Orbes Solis Augem deferentes motum eundem cum cæteris ſuperioribus habere dicunt,videlicet cum Saturno, Jove, & Marte: Deferens autem ejus ſuper polis & axe propriis ſecundum ſucceſſionem ſignorum 59.ferme minutas cum octo ſecundis complet; atque ita Sol totum Zodiacum diebus 365.cum horis fere 6.perficit: Atque ita in cæteris inferioribus videlicet Venere, Mercurio,& Luna. Sed admittatur, quod Author hic noſter cum Copernico, Schonero, Brachio,& cæteris eiuſdem farinæ ſtationarium atque retrogradum Epicycli motum prorſus negans ac tollere conans (nam ita videtur eſſe Authoris mens *cap. 4. lib. 5.*) pro orbibus Augem deferentibus orbitas peculiares requirat,quibus Planetas omnes fieri eccentricos velit, hoc eſt, mutare intervalla ſua à Sole; Ponatur, inquam, hoc ipſum;at neceſſe nihilominus erit,quatenus in motu Planetarum naturali à veteribus in effectu parum aut nihil differunt præmemorati Authores, ut Harmonia in ſuo Syſtemate Planetario reperta ex hujuſmodi motibus fiat, cum ſuper eadem fundamenta collocarit Author ſpem ſuam. Quod cum ita ſit,quærendum (atque hoc non inſulſe dictum putetis) cur temporum in longitudine & brevitate varietatem recuſaverit; cum horum motuum progreſſio non fiat niſi tempore phyſico? Nec certe unica & ſimplex temporis ſpecies huic operi ſufficit,ſed multifaria, quatenus motus Planetarum eſt multifarius & diverſus. Unde procul dubio ſequitur,quod motus Lunæ ad ſuperiora ita ſe habeat,ut in temporibus muſicalibus tempora minima ad media & longiora: Nam citra ullam controverſiam eſt ratio exactiſſima in motuum Planetarum diverſitate;ſiquidem Lunæ progreſſio ad cantum excellentem; Mercurij Veneris & Solis motus ad Altum & Medium relationem habent,Mars Contratenoris locum poſſidet,Jupiter Tenoris,Saturnuſque Baſſi in ſonis maximis ſeu largis propter ſuam tarditatem in motu & gravitatem ſibi vendicat. Quid igitur in cauſa eſt,quod Author hic noſter præ nimia intervallorum inquiſitione ſui ipſius oblitus arcana temporum adeo neglexerit,ut non modo ſolis ſemibrevibus in ſua uti Harmonia contentus ſit; fortaſſe propter multifariam temporum triplicium differentiarum ignorantiam, (cum in illa quidem numerorum temporalium proportione corpora ejus triangularia ſonare debeant cum planis aliarum ſpecierum) ſed etiam in errorem exertiorem incidere geſtiat,aſſeverando, tempora ſonorum arbitraria eſſe,& cauſarum inquiſitione minime indigere. Indigent,inquam,ingenti cauſarum inquiſitione, uti quidem ex diligenti Triangulorum meorum temporalium inſpectione & contemplatione *lib. 4. Muſices meæ Artific.* facilime apparebit: Negotium enim haud parvi momenti eſt, ſcire, quæ notulæ temporales ſint omnino perfectæ, quæ ſemel perfectæ, quæ bis, quæve ter, quaterve perfectæ, & quæ denique omnino perfectæ. Similiter infinitas notularum temporalium ad invicem proportiones impares ſeu inæquales inveſtigare inquiſitione magna quidem indigebit; quæ ſcilicet ſimplex, & quæ multiplex, & tum poſtea inter ſimplices, quæ multiplex dupla, tripla, aut quadrupla, quæ ſuperparticularis, ſuperbipartiens tertias,quintas,ſeptimas,vel ſupertripartiens quartas, quintas, ſeptimas, vel ſuperquadrupartiens &c.Similiter inter multiplices,quæ ſuperparticularis dupla tripla; & ex ijs quæ ſeſquialtera, ſeſquitertia,ſeſquiquarta;& in quadrupla quæ ſeſquialtera, ſeſquiquarta. Et tum poſtea, quæ multiplex ſuperpartiens dupla,ſuperbipartiens Tertias; quintas; ſupertripartiens quartas, quintas quæ tripla ſuperbipartiens tertias,quintas, ſupertripartiens quartas, quintas; quæ quadrupla ſuperbipartiens tertias, quintas, & ſupertripartiens quartas quintas. Denique ex notulis ſecundum proportiones earum dignoſcere ex Triangulo noſtro temporali licebit, quæ notulæ ad invicem reſpicientes ſint duplares, quæ ſeſquitertiæ; quæ ſeſquialteræ,& quæ tandem ſint Triplares. Porro etiam Pauſæ, quæ ſunt notulæ ſilentes ſeu ſubintellectæ,propter proportionum prædictarum variationem maxima indigent inquiſitione; atque etiam ſigna inter velocitatem aut tarditatem, duplicitatem aut triplicitatem notularum arguentia: De quibus omnibus, quamvis *libro meo* 4. breviter ſim locutus,attamen

totum temporum muſicalium myſterium integrum quidem volumen comprehendere non poteſt, Et procul dubio, cum Muſica hæc vocalis & inſtrumentalis ſit quaſi effigies & umbra veræ illius Muſicæ, quæ in cœlis ſecundario tonat, & primario in ipſo cœlo ſuperſubſtantiali (juxta divinam illam Jamblici ſententiam: *Anima in mundo intelligibili audivit harmoniam divinam, cuius hic reminiſcitur, quando audit melodias habentes divinæ veſtigium; reminiſcens vero ad eam vehementer afficitur, ſi eſt in numero animarum, quæ ipſam harmoniæ idæam præcipue contemplatæ ſunt in patria*) neceſſe eſt imaginari, quod nulla ſit varia in cœlis muſica, ubi temporum etjam varietas non reperitur, cum eædem ſint utriuſque videlicet tam intervallorum quam temporum proportiones. Et ſane motum ſyderum numero ac tempore diſtingui neminem in Aſtronomia verſatum latebit; Conſequenter itaque dicimus, quod, ſi veræ temporum & intervallorum cœleſtium proportiones rite inter ſe comparentur, ingens inde harmoniæ mundanæ ratio hauriatur atq; derivetur: Nam motus nunquam tempus ſuum comitem relinquere poteſt; Unde certum eſt, quod, ut *Chaos* filius dicitur eſſe *Pan*, ſeu univerſa natura; cujus actus eſt anima movens; ſic etjam *Æternitatis* filius ſit ipſum *Tempus*, ſine quo Pan ne momentum quidem ſpatii durare aut movere poteſt. Ex quibus equidem liquet, quod, ſi in Muſica hac inferiori ita ſe habent Tempus & Intervallum, neceſſe ſit etjam, ut in cœlis eandem inter ſe relationem invicem reſpiciant. Nam, ut Diapaſon, Diapente, & Diateſſeron ſunt harmonica Muſicæ artificialis intervalla, ſic etjam hoc idem præſtant in cœleſtibus, atque adeo in ipſo Archetypo. At vero, quoniam ſine tempore non fit motus ab uno interuallo, tanquam à termino à quo, ad alterum, ſequitur, quod tempora tam in incognitis quidem proportionibus, quam in cognitis reperiantur inter ipſos Planetas. Quare concludimus contra authoris intentionem, qui æſtimavit temporum inquiſitionem tam frivolam, quod Temporis muſicalis longitudo & brevitas, ſeu omnes eiuſdem differentiæ inquiſitione magna indigeant, & hiſtoriæ ſuæ harmoniæ ſint valde neceſſariæ; Et proinde (ut mihi videtur) maximus in eo eſt error, quod de Temporibus aut longitudine & brevitate ſonorum nihil dixit; adeoque etiam res longe aliter ſeſe habet, quam ut arbitrariæ ſint Temporum dimenſiones variæ in longitudine & brevitate, ita quidem, ut inde eas inquiſitione cauſarum indigere conſequatur.

TEXTUS VI.

Intervalla quædam appellat ſimplicia; quæ mihi ſunt Concinna minima diſſona, Tonus major, minor, ſemitonium, dieſis: alia vult eſſe ex his compoſita, quæ ego conſonantias appello. Atqui ſententiam hanc veterum, quod conſonantiæ componantur ex intervallis minoribus, tanquam natura prioribus, ego refutavi expreſſe capite IV. mei libri III. oſtenſo; quod minora è contrario oriantur ex conſonis ſeſe maioribus.

ANALYSIS:

SI intervalla minora ſecundum veterum ſententiam ſimplicia appellavi, id ſane haud inconſulte factum eſt; & cum conſonantias maiores ex iis compoſitas dixi, illud etiam ſine cauſa momenti haud exigui non feci, quatenus totum ex ſuis partibus conflari ſolet, & multitudo à ſuis membris minutioribus, quorum unitas eſt fons, & linea à ſuis punctis, ac corpora mathematica à ſuis figuris planis, quarum origo eſt Triangulus, & poſteriora à prioribus; de quibus *inferius* ſuo loco, ubi hanc Veterum aſſertionem argumentis quidem irrefragabilibus defendere nitar; argumentaque ab Authore adducta refellere conabor. At vero, quia hoc in contextu intervalla minima, nempe Tonum & Semitonium diſſona & non conſona appellat, videtur quidem illud longe aliter evenire, quoniam eundem quidem unius chordæ tonum alteri proportionis identitate correſpondentem Symphoniã uniſonam prædictam eſſe docet experientia: Unde procul dubio Tonus eſt conſonum interuallum, quamvis etjam alio reſpectu diſſonus dici poteſt. Porro etiam invenimus ſpatium Semitonij minoris eſſe in cauſa differentiæ inter cantum mollem ſeu rotundum, & durum ſeu quadratum: Unde, ſi Baſſo ſignaculum b. mollis exprimatur in B. mij, certum eſt, quod, ſi in eodem Tenoris intervallo idem ſignaculum etjam ponatur, vocem conſonam producat exactiſſimam. Unde patet, quod, cum Semitonium faciat ſua voce conſonantiam, ſit conſonum interuallum: Sed hoc etiam patet in pronunciatione vocis in B. mij diverſarum chordarum: Ubi ſi b. exprimitur ſuper linea ſecunda cantus unius & non alterius, diſſonans & incompletus erit ſonus: Si vero b. in utroque intervallo depingatur conſonans erit utriuſque conſenſus. Atque hac de cauſa tam conſona appellari poſſunt minora intervalla, quam diſſona.

TEX-

TEXTUS VII.

Reliqui quatuor authoris libri praxin habent, quam ego ne attingo quidem. Nam in IV. de menſura tactus, eiusque modis varijs, & valore Notarum per eos præcipit, de quo ego paucula; lib. III. cap. XV. & libro IV. cap. III.

ANALYSIS.

AT quis in Theoria bene verſari poteſt, quem tam propria confeſſio, quam operum ſuorum ſtigmata praxin ignorare confirmant? Nam iuxta Veterum Sapientum ſententiam, *Veritas praxis veritatem Theoriæ confirmare debet*: Deinde dicit, ſe de menſura tactus ejuſque modis varijs & valore notularum paucula egiſſe *libri ſui 3. cap. 15. & lib. 4. cap. 3.* Quibus equidem perlectis parum quidem de hoc ſubiecto, & ad propoſitum fere nihil inveni. Sed & ſi hoc quidem eſſet verum, quare inquit, ſibi ipſi in hoc Textu 5. contradicens, ſe de Temporibus ſeu longitudine & brevitate ſonorum nihil admodum dixiſſe? Nec etiam per totum Harmoniæ eius filum quicquam notularum temporalium præter ſolam Semibrevem obſervavi. Ex quibus liquet, ipſum omnes menſuræ temporalis proportiones penitus omiſiſſe; quæ quidem ad operis ipſius medullam fuerunt perquam neceſſariæ.

TEXTUS VIII.

Habet præcepta compoſitoria cantus figurati, quam artem ego non profiteor. In VI. excurrit etiam ad varia inſtrumenta Muſica; de quibus ego ne cogitavi quidem: In ſeptimo denique novum inſtrumentum ipſe aperit.

ANALYSIS.

DIxi antea, cantum iſtum figuratum & compoſitionem eiuſdem eſſe quaſi harmoniæ ſuperioris tam primi quam ſecundi generis ideam atque imaginem: Quod quidem verbis ſapientiſſimi Jamblici confirmavimus; & ex multis ſacrarum ſcripturarum locis comprobare poſſumus; quomodo videlicet ob ſuam vicinitatem cum Harmonia Archetypi & idealis, muſica illa à Davide compoſita non modo ipſi creatori grata fuerit & accepta, verum etjam Dæmonum crudelium rabiem & furorem mitigare valuerit; Et quam quidem in animis hominum concentum pariat, ubique in Biblijs divinis reperitur: Quod autem ad Muſicæ cœleſtis cum terrena conſenſum attinet, nos eum docet perfectio illa Apollini attributa, cantilenaque, qua Mercurius mediante fiſtula Argum monſtroſum ſomno ſubjecit; Medeaque phyſica herbarum ſymphonia Draconem vigilantiſsimum conſopivit. Sed hujuſmodi quidem Muſicæ ſpecies non datur Aſtronomis vulgaribus intelligere: Unde non eſt mirum, ſi ipſis deſit hujuſmodi cantilenas formales & eſſentias componendi facultas; quippe qui ſolis opinionibus proprijs innitentes omnia credunt, quæ ſibi videntur & non ſunt: At quæ ſunt & non videntur, ea tanquam impoſsibilia repudiant, derident, & pro nihilo habent, atque hoc modo umbram cum cane Æſopi ſubſtantiam negligendo eligunt; colorem, inquam, pro ſubſtantia capiunt & decipiuntur.

TEXTUS IX.

In his igitur 4. poſtremis ille ſic à me differt, ut Practicus à Theoretico: Nam pro eo, quod ipſe inſtrumenta tradit, ego rerum ſeu conſonantiarum cauſas inquiro; & pro eo, quod ipſe docet componere melos plurium vocum, ego demonſtrationes mathematicas concinno plerorumque, quæ naturaliter inſunt in cantu tam Chorali quam Figurato.

ANALYSIS.

ET tamen nihilominus in *libris præcedentibus*, me vinculo Theoriæ, videlicet in ſcientifico conſonantiarum inveniendarum progreſſu, cum illo conveniſſe *Text. 3.* falſus eſt: Unde videtur agnoſcere me tam Theoria pollere, quam praxi. Non autem mihi erit dedecori, in utraque ſcientiæ Muſicæ parte verſari; Et per conſequens certum eſt, quod qui ita ſe habet, ſola Theoria imbuto tantis gradibus ſit excellentior ac præſtet, quantis totum parte ſua dimidia: Nam, ut antea diximus, *Veritas*

praxis

praxis veritatem Theoriæ corroborare ſolet. Ubi vero dicit, ut pro eo, quod ego inſtrumenta trado, ipſe rerum ſeu conſonantiarum cauſas inquirat, quam male hoc conveniat cum aſſertione ejus in *prœmio libri* 3. exhibita, veſtro judicio, Lectores doctrina eminentes, committo. Ait enim ibi loci, *Pythagoram ex magnitudinum malleorum obſervatione differentias graves & acutas inveniſſe; quibus harmonica vocum ſeu ſonorum intervalla tandem patefecit:* Quæ quidem intervalla tum poſtea exactius in chordarum longitudinibus adaptavit; quippe quibus aures perfectius judicare ſolent; quæ partes chordæ cum tota conſonent, & quæ ab illa diſſonent. Porro etiam & ipſe *capita* 1. *&* 2. *libri illius* iſtiuſmodi negotii fragmentis implevit; ubi etjam elicit conſonantiarum rationes ex varijs chordarum inæqualiter ſectarum proportionibus: Et tamen neglecta inſtrumentorum conſideratione, dicit, ſe conſonantiarum cauſas inquirere: Quod quidem quam ſit inane & frivolum liquido apparet; quia chorda ſine inſtrumento non plus valet quam campana ſine marculo: Et nos in *libro* noſtro *tertio*, omnes conſonantias, atque etjam minora Muſices intervalla ab exacta Monochordi diviſione, hoc eſt, à chordæ ſupra inſtrumentum ſibi proprium extenſæ partitione proportionali derivari oſtendimus; id quod etjam ipſe per totum *caput ſuum* 2. *libri* 3. fatetur: Porro quoque ex chordis æqualiter tenſis ſonos graviores in longioribus, acutiores vero in brevioribus oriri *cap.* 3. *eiuſdem* agnoſcit. Quare conſonantias ſive in cœlo ſive in terra non meliori via quam chordarum proportione in magnitudine vel longitudine enucleare poteſt; Nam ſuperiora cognoſcimus ratione ad inferiora habita. Quis enim mortalium cœlos unquam ingreſſus eſt, poſteaque in terram reverſus, ut myſteria eorum, prout ibi ſunt, revelare potuerit? Sed præſtantiſſimorum Aſtrologorum ſecta cœlos & Planetas ſuos habet etiam hic in terra, quibus tam corpore quam animo, mediante ipſius veritatis viſione, reficiuntur & in via recta falſis opinionibus omnibus ſepoſitis ambulant. Deinde ait, quod pro eo, quod ego melos componere doceo plurium vocum, ille demonſtrationes mathematicas concinnet: Et tamen antea *Text.* 4. dixit, ſuum eſſe intentum rerum naturalium cauſas aperire. Quam autem differat Mathematica à Phyſica ſagaciori Lectoris docti arbitrio committo; cum hæc de rebus in concreto ſit, illa in abſtracto. Sciunt autem in Philoſophia optime verſati, cauſarum demonſtrationes à ſimili fieri potius, quam ab alieno; quoniam ſimile ſuo ſimili gaudet. Atque hinc eſt, quod Phyſici ſine Matheſis ope cauſarum ſecundariarum inquiſitionem fecerunt per principia priora; nec quidem ab arte in artem diſcurrebant, quo illud negotium perficerent. Nam apud Phyſicos celeberrimum eſt illud axioma: *Fruſtra fit per plura quod fieri poteſt per pauciora.* Hinc igitur concludendum putamus, quod, ut Muſica Mathematica fundamentis Mathematicis ad ſuam cauſarum inventionem indiget, ſic etjam Harmonia Phyſicis: Imo vero totius Muſicæ ſonoræ ratio, atque etjam ipſorum intervallorum ortus magis ad Phyſin ſpectat ratione naturæ ſuæ occultæ, quam ad Matheſin, ſi internum ejuſdem principium recte inſpiciamus: quoniam arcanum ejuſdem conſiſtit in phyſica materiæ ſpiritualis ſive groſſioris ſive tenuioris diviſione, cujus diviſor eſt anima actus canentis vel pulſantis, ſive ſit in Micro: ſive denique in Macrocoſmo: Sed quoniam nimis profundum foret ac arduum captui ignorantium hoc excogitare, ideo veræ Phyſicæ ſubſtantiæ naturam & motum ratione Mathematica (quoniam hujuſmodi demonſtratio eſt ſenſui magis familiaris) explicare atque aperire ſolebant Sapientes, tangendo hoc modo umbris Geometricis & Arithmeticis Muſicæ divinæ medullam; quibus tantus jam in artem Muſicæ irrepſit error, ut eam è ventre & viſceribus Naturæ extrahendo inter artes liberales Mathematicas collocaverint. Atque hac via vanam concipimus umbram, ſeu Muſices reſpicimus tunicam ſeu corticem; interiorem vero ejus eſſentiam ſeu nucleum ignoramus: Quæ quidem nihilominus eadem eſt in homine quæ in mundo, eadem in elementis quæ in Planetis, ac eadem tandem in illis, quæ in ipſo mundo Archetypo, unde originaliter orta eſt Harmonia machinæ totius.

TEXTUS X.

Propterea etiam in ipſius opere plurimæ ſunt picturæ; in meo diagrammata mathematica literis inſtructa.

ANALYSIS.

HIc quidem ejus (*Propterea etiam*) cauſam alicujus rei inferre debet: Sed cujus? Ego quidem ex præcedentibus haud video: Hæc enim eſt ejus præcedens, *textu proxime antecedente. Et pro eo, quod ipſe docet componere melos, ego demonſtrationes mathematicas concinno.* Tunc ratio eius ſequitur: *Propterea etiam in ipſius opere plurimæ ſunt picturæ:* Et quare? Quoniam doceo componere melos? ac ſi illud fieri non poſſit abſque picturis. Porro etjam vidimus ipſum infinitis picturis mathematicis uti fere per totum *librum* ejus *primum*, & præciſe, *fol.* 58. ubi depingit 5. corpora ſua mathematica, & *fol.* 61. 62. 64. Et *lib.* 3. *fol.* 5. 6. ubi unitatibus figuras componit, & lineas pro chordis depingit per totum *caput* 2. *libri* 3. *Librum* 5. figuris Mathematicis configurationes ſuas harmonicas demonſtrantibus; iterumq; *fol.* 180. 181. 182.

181.182.corporum ſuorum effigies cum alijs inventionibus repetit: *fol.* 186. manubrium ſeu arcum motionum Planetarum ſecundum ejus intentionem expreſſe cum alijs de figurarum planarum conjunctionibus; fabricam harmoniæ planetariæ ſecundum b.durum expreſſit *fol.* 209. & aliam pro b. molli *fol.* 210. fabricamque mixtam *fol.* 211. & 212. At vero, ſi de poſtremis dicat, ſuas fabricas ſeu ſyſtemata eſſe diagrammata literis inſtructa, hoc idem & ego pro meis reſpondeo: Nam *libro* meo *quinto*, ubi doceo melos componere *fol.* 210. Triangulare ſyſtema invenietis, diagramma quidem Mathematicum exactiſſimum literis & figuris inſtructum, in quo non modo totius ſyſtematis, ſed etjam intervallorum menſuræ arcanum cum clavium viſibilium locis aperitur quam exactiſſime. Hoc idem diagramma literis & figuris inſtructum, ſed alia ratione fabricatum, *fol.* 212. 217. 218. 220. 222. 224. invenire licet: Quorum quidem nonnulla licet decoris gratia, atque etjam ut templi mei Muſici partes bene percipiantur, in forma Trianguli, trium feneſtrarum & baculi ſive regulæ deſcribantur, ad rem tamen magis exacte pertinent, & meliori methodo ibi explicantur, quam ut aliqua demonſtrationum Authoris ijs alicujus dedecoris ſpecimen afferre queat. Quare verba mera ſunt hæc Authoris & potius invidiæ ſtigmata, ac figmenta poetica, quam ut revera aliquid importantiæ ſecum ferant. Atque hoc idem dicendum eſt per univerſum opus meum Mathematicum; in quo quamvis picturas plurimas introduxerim, ſat liquido tamen percipere poteſt Lector, illas omnes ad propoſitionum mearum demonſtrationes valde eſſe neceſſarias, & nullo modo omittendas. Quod vero ad picturas in operibus meis Phyſicis repertas attinet, quamvis more mathematico non ſint productæ; certus tamen ſum, eas more phyſico, hoc eſt, quibus opera mea phyſica demonſtrentur non ſine ratione bona ordinatas eſſe: Nam, ut ad corporum ſuorum mathematicorum productionem & manifeſtationem ipſe *libro* ſuo *priori* multas propoſitiones, & ad earum elucidationem quamplures planarum ſuperficierum demonſtrationes delineavit, ex quibus corpora componi debent; ſic etjam ego ad ſubjecti mei explanationem demonſtrationibus phyſicis & non mathematicis ſum uſus: Nec quidem refert ſub qua forma vel figura depingantur, ſi modo ad rerum obſcurarum & haud vulgarium enucleationem conducant. Et quidem Joannes ipſe, hoc non inſulſe factum, agnoſcere debet, cum ad hoc propria ejus tendant verba hæc ſequentia; *Ipſe plurimum delectatur rerum ænigmatibus tenebroſis.* Hoc enim ſi ita eſt, opus quidem erit oculari ad res occultas explicandas demonſtratione. Denique notatu dignum eſt, quod hoc in loco author ſe ipſum collaudare gaudeat; cum hoc quidem in ſcripta legente, quam in ipſo ſcriptore eſſet decentius: Nam ſi quiſque ſibi & in cauſa propria eſſet judex, nullam inter extremam corvi nigredinem, intenſamque Cygni albedinem relinqueret diſcrepantiam. Ego quidem quod meum eſt, æquo Lectoris benevoli & doctrinæ alis elati judicio libentiſſime commendo; & ſecundum ejus ſententiam bonum vel malum de me operibuſque meis iudicabo.

TEXTUS XI.

Videat etiam ipſum plurimum delectari rerum ænigmatibus tenebroſis, cum ego res ipſas obſcuritate involutas in lucem intellectus proferre nitar. Illud quidem familiare eſt Chymicis, Hermeticis Paracelſiſtis; hoc proprium habent Mathematici.

ANALYSIS.

HOminis quidem ſenſum hoc in loco haud capio; imo vero ipſum mentem meam male atque modo contrario, ac ego putavi, accepiſſe video. Ille ego, qui Veterum myſteria enucleare geſtio, & occultum modo naturali revelare contendo in tenebroſis rerum ænigmatibus non oblectari ideo deprehendor, quoniam quæ diu abdita fuerunt & monumentis ſecretioris doctrinæ ſepulta, jam mundo manifeſtare atque hominibus propalare ſponte ſum aggreſſus. Quare nimia cœleſtium contemplatione raptum Authorem delirare, aut potius cum ratione aliqua inſanire concludendum eſt propter inſtabilem opinionis iſtius conceptionem. Quidam certe in eadem cum eo natione ſanæ mentis homo, & quidem doctiſſimus, atque in rerum naturalium inſpectione ipſo Authore longe profundior ex ſua gratia (etiam mihi non niſi per literas cognitus) in ſuis ſcriptis ad me miſſis hæc refert; *Quis ſingularem ſolertiam in inquiſitione rerum non commendet, ubi ex Orco quaſi vera rerum principia, quæ per umbram olim Hippocrates aliquibus in locis, & ſuperficialiter, hodie Paracelſus tractavere, revocas &c.* Alius quidam Doctor natione Gallus, etjam mihi incognitus, in hæc verba mihi ſcripſit; *Facis tu quidem, quod virum bonum & Philoſophum apprime decet, ſpulchrum ingenij, doctrinæ, induſtriæ tuæ ſpecimen omnibus præ te ferens &c.* Et quidam alius Doctor Germanus, ſic ad me ſcripſit; *Scripta tua ſecretioris Philoſophiæ cultoribus intimis valde probantur: Tuum igitur erit cætera quoque quæ ad Macro- & Microcoſmum ſpectare videntur, ad umbilicum perducere &c.* Multaque alia virorum doctorum teſtimonia hoc in loco producere poſſem, qui omnes longe abſunt ab iſta Keppleri ſententia; videlicet, quod delectatio mea ſit celare myſteria Veterum,

terum, aut quod tenebroſis delecter ænigmatibus: Imo vero occulta pro poſſe meo manifeſtavi, quamvis mathematicis ejus demonſtrationibus non ſubijciatur mea intentio; quatenus figmenta à veritate valde diſtare ſolent; Quid? quod plus etjam in *primo* illo *Volumine* feci in detectione myſteriorum naturæ, quam æquum erat, aut Philoſopho bono conveniret. Reperitur enim, quod omnes Philoſophi de myſterio divino participantes ſilentium & ſcientiæ ſecretæ occultationem laudaverint. Mercurius Triſmegiſtus (quem Hermetem vocat) ſilentium ſuum *fœcundam bonitatis prægnationem* vocat. Et Apulejus, *Tace, Tace*, inquit, *tutamenta ſermonis*; *parce*, inquit, *ne quam tibi lingua intemperante noxam contrahas*. Quanti autem fuerit Pythagoræ ſilentium momenti, (quem ipſe ſequi vult in ſua corporum regularium inventione) neminem in Philoſophia verſatum latet. In ſacris etiam ſcripturis reperimus ſilentii commendationem: Nam dicit Salomon *Proverb.* 24. *Honor Dei eſt abſcondere rem*: Et *cap.* 12.22. ejuſdem; *Scientiam tegit homo callidus*. Atque hinc eſt, quod Sapiens ſua arcana ſub parabolis ſeu proverbiis occultaverit: Et admonentur diſcipuli à Chriſto ipſo, *ut ſint ſubtiles, ſicuti ſerpentes*: Et Chriſtus noluit, *vt margaritæ porcis, aut panis filiorum canibus obijceretur*; iuſſitque diſcipulos *allegorice & ænigmatice Iudæis loqui, ut aures haberent, & non audirent, oculos poſſiderent, ſed non viderent*. Si igitur mea delectatio eſt in tenebroſis rerum ænigmatibus, quî arcanum phyſicum revelare & mundo propalare conabar? Quantus erat Philoſophorum & Theoſophorum Veterum amor ergà tenebroſa ænigmata; imo vero quam affatim abundaverunt Solomon omnium ſapientiſſimus, & Chriſtus omnium Creator & Salvator, ac ipſa Sapientia divina in hujuſmodi deſiderio; quippe mundum tantis donis indignum agnoverunt. Ipſe Pythagoræ aſſecla ſeu ſimia in electione corporum quinque regularium ad ſuum myſterium Coſmographicum ſtatuminandum eſſe videtur; Et tamen ſilentium in ſcientia ſecreta recuſat: Unde patet, quod ejus arcanum ſit magis nomine conſiderandum, quam re conſpiciendum: Imo vero nihil refert, ſi ille myſterium ſuum mundo publicare non dubitat, qui, quid revera ſit Naturæ ſecretum, ignorat: Nec quidem refert, aut Philoſophiæ peritis inde quid invidiæ erit, ſi res ipſas obſcuritate involutas in præſtigioſam ſui intellectus imaginarij lucem proferre nitatur; cùm vana vanis rectiſſime conveniant. *Illud*, inquit, *familiare eſt Chymicis, Hermeticis, & Paracelſiſtis; hoc proprium habent Mathematici*. Et recte quidem: Nam mathematicorum vulgarium eſt circa vmbras quantitativas verſari; Chymici & Hermetici veram corporum naturalium medullam amplectuntur. Talis Chymicus naturalis fuit ipſe Moyſes, qui ſubſtantiam mundi univerſi ex tenebroſa abyſſo extraxit, quam *aquam* fuiſſe tum ipſe D. Petrus affirmavit, & proportionibus phyſicis, ac non Mathematicis eam in regiones & orbes gradu diſtinctos virtute verbi, cujus eſt firmare cœlos, in lucem produxit, videlicet in cœlum Empyreum lucem dictum, in firmamentum dividens aquas in terram & mare: At vero, ad quam Matheſis vulgaris partem recte convertitur iſte ipſius Jehovæ ſermo ex turbine loquens *Iob.* 38. *a.* 2. *Accinge ſicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & reſponde mihi; Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ; indica mihi, ſi habes intelligentiam? Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eam lineam ſuper qua baſes eius ſolidatæ ſunt, aut quis demiſit lapidem eius angularem; cum me laudarent ſimul aſtra matutina & iubilarent omnes filij Dei? Quis concluſit oſtiis mare; quando erumpebat quaſi de vulva procedens, cum ponerem nubem veſtimentum eius?* &c. Ubi videtur Deus hoc optime proponere vanis Geometris primum in menſuratione terræ, & deinde Aſtronomis in phantaſtica motuum ſtellarum inquiſitione. At hæc omnia Chymicis divinis, quales erant Moyſes, & Hermes, conceditur per acquiſitionem Spiritus Sancti, cujus ſolius eſt hæc omnia vere docere: Sed Author hic Mathematicus dicit, *ſe hæc omnia inveniſſe ingenio ſuo proprio*; videlicet terræ menſuram, ſitum, imo vero & motũ: Et quidni? cum invenerit eam eſſe animal & ſtellam: Similiter ad ſecreta cœlorum & ſtellarum harmoniã pertigit; Nam ſolem immobilẽ motus fontem vocat, derogans hunc titulum Creatori, & arrogans illum creaturæ: Sed videamus obſecro imprimis, quid ſit Chymia, quis Hermes, à quo Chymici appellantur Hermetici. Eſt equidem vera Chymia ſcientia, qua ejus Artiſta non ſolum naturam, ſed etiam ipſum adeo Naturæ arcanum; ejuſque penitiora abdyta ſagaciſſime ac argutiſſime penetrans, verioris Philoſophi & Magi naturalis nomen ſibi uſurpavit. De hac ſcientia, ſimul atque ſciente ſic loquitur liber; qui dicitur *Correctio fatuorum*; *O fœlix ſcientia cum ſciente, qui eam habet, incomparabilem theſaurum poſſidet in ſalubri conſtellatione natus eſt, & in hoc ſeculo ſuper omnes ditatur: Hic verus Philoſophus ideo dicitur, quoniam veritatem cognovit; atque ideo hanc ſcientiam poſuit ſuper naturæ motum, & antiqui Philoſophi modum eius imitantes nunquam reperti ſunt mendacium poſuiſſe, licet obſcure locuti ſint; & hoc propter ſcientiæ nobilitatem fecerunt. Hæc ille*. Sed ut veri Philoſophi verique Chymici officium adhuc amplius aperiamus (quo videat Lector, an Chymicorum doctrina ita à veritate naturæ elongetur, necne) ipſi quidem datum eſt naturam rite cognoſcere, & quomodo ipſa, cum ſit vis quædam infinita, ex ſimilibus ſimilia procreare ſoleat, qua virtute illa res cunctas augeat alatque, & cur omnium in ſe rerum nomina habere dicatur, ac quo adminiculo animal, lapis, lignum, arbor, corporaque omnia viſibilia ab ipſa eiuſque retinaculo oriantur; unde illa elementorum vinculum ſeu ligamentum virtuſque commiſcendi dicatur; qua via in qualibet re hujus mundi ſublunaris elementorum mixtiones efficiat, formamque ſuæ ſpeciei congruam imprimat, per quam ea res à quavis alia diſtinguitur atque ſegregatur; quomodo illa ſit nullius coloris, & tamen omnium colorum particeps ac effectrix, nullius ponderis aut qualitatis o-

mnium-

mniumque tamen qualitatum, motuum, rerumque, fœcunda genetrix. Chymicus vetus jam in Theoſophum redactus ex arcana naturæ viſione intelligit, Naturam Deo proximam eſſe, ſcitque recte, quid ſit Spiritus Domini, quid ſit amor igneus, qui *ferebatur ſuper aquas*, igneum quendam vigorem ijs impertiens, ſine quo nihil quidem procreari poteſt; intelligitque, quid ſit illud *vitæ ſpiraculum, quod Deus rebus creatis inſpiravit*, cum in mundi genitura diceretur; *Creſcite & Multiplicamini*. Percipit ergo, quid ſit illa *mundi anima* à veteribus Philoſophis & Theoſophis ita celebrata, ut etjam in ſole eam non ſine ratione collocarint. His rite ab ipſo intellectis origo veri motus cæleſtis ei abſcondi aut deliteſcere non poteſt, dum iſtius rei ratio naturali progreſſu à numero 1.2.3. hoc eſt, à 6. ad 4. qui eſt altera unitas faciens 7. diem Sabbathi, ſeu Jubilæi, & quietis argumentum, luculenter animo & oculis demonſtrari poteſt: Unde dicitur *Deus poſuiſſe tabernaculum ſuum in ſole*. At vero nolim, ut credatis, hoc de Alchymiſta Sophiſtico, aut ſpurio, ſeu vulgari intelligi, ſed de vero Phyſico ad aureum divinitatis orbem, verumque ſolem reſpiciente: In cujus numero ſi me reputaveris ſeu exiſtimaveris, malim profecto me revera talem eſſe, quam ſolummodo pro tali haberi, etjamſi in odio & ludibrio forſan futurus eſſem propter hujuſmodi titulum coram mundo ignorantia ſubmerſo: Tum enim gaudium mihi haud exiguum foret per iſtam Chymiam illud à Pſalmiſta Regio Pſalm. 12. 7. inculcatum, intelligere: *Dicta Iehovæ pura ſunt, ut argentum purgatum, in catino terræ ſepties defæcatum*: Similiter hæc Alchymiæ divinæ portio à me rite perciperetur; *Aurum venit ab Aquilone propter Deum terribilem laude. Iob. 37. 22.* necnon & hoc Sapientis axioma Cantic. 5. 10. *Caput ſponſi eſt inſigne, aurum purgatiſſimum, capilli ejus criſpi, nigri ut corvus*: Tunc non abſconderetur vera illa Alchymiſticæ ſcientiæ portio deſcripta à Job. 28. a. 1. *Habet argentum venarum ſuarum principia & auro locus eſt, in quo conflatur; ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore in æs convertitur. Tempus poſuit tenebris, & univerſorum finem ipſe conſiderat; lapidem quoque caliginis & umbram mortis. Dividit torrens à populo peregrinante, eos quos oblitus eſt pes egentis hominis & invios. Terra, de qua oriebatur panis, de loco ſuo igne ſubverſa eſt: Locus Saphiri lapides ejus, & glebæ illius aurum &c.* Si quidem ſim Chymicus, hæc eſt revera Alchymia, quam ſolummodo, omnibus ſpuriæ Chymiæ ſtigmatibus ultra Hyperboreos montes relegatis, amplector: Et de hac mea Alchymia ſic loquitur ſapiens in Eccleſiaſtico; *Ex terra elicitur medicina, & vir prudens non abhorrebit eam*. At quid de Hermete exiſtimat author, de ejus doctrina quid exiſtimat, cujus naturalium principia eadem eſſe reperiuntur cum illis Antiſtitis Moyſis: Atqui hic etjam tenebroſis ænigmatibus delectatus eſt: Hoc idem dici poteſt de Moyſe ipſo; utpote inter quos tam exigua putatur tum ſcientiæ tum temporis diſcrepantia, ut etjam, teſte Enida, Hermes tempore Moyſis vixerit; uti quoque à quibuſdam in antiquitatibus peritis, pro ipſo Moyſe habebatur. Vtcunque autem; Hic Ægyptiorum dicitur Ἑρμῆς τρισμέγιστος, *ter maximus*; quia de Trinitate docuerit teſte eodem Enida. Quid igitur dedecoris aut infamiæ eſſe poteſt Hermetis diſcipulum appellari, hoc eſt, Hermeticum, cui naturæ fundamenta fuerunt patefacta: Dic mihi per Deum immortalem, quid eſt iniquius, quam ut oderint homines; quod ignorant? Etjam ſi res mereatur odium, quid demum eſt ſubtilius, quid abjectius, quæve major eſt deliratio ac vecordia, quam eam damnare, & pro nihilo habere ſcientiam in qua nihil prorſus olfecerint, utpote qui nec naturam, nec naturæ majeſtatem, nec proprietatem, nec occultas Phyſis operationes unquam didicerint? Crocitent atque blaterent vulgares Mathematici de profunda ſua naturæ cognitione; per effectum tamen homines ſunt cognoſcendi: Nam fruetur trophæo natura, quod in vero Artifice fixit ipſa. A Mathematicis exquiſitis & circa matheſin formalem verſatis menſuratur atque revelatur Natura, nuda; à ſpurijs autem & mendoſis inviſibilis & occulta manet. Hi ergo umbras pro ſubſtantia metiuntur, opinionibus vanis nutriuntur; illi, umbra rejecta, ſubſtantiam amplectuntur, veritatiſque viſione gaudent. Concludimus igitur contra Ioannis Keppleri ſententiam, quod illud familiare ſit Mathematicis vanis, fictaque imaginatione & opinione enutritis; quippe qui corpora mathematica ita reſpiciunt, ut illorum vere naturalium obliviſcantur; hoc veræ Chymiæ miniſtris, quorum eſt occulta manifeſtare naturamque corporibus opacis ſubmerſam extrahere, lumenque abditum è tenebrarum carcere, quaſi ab ignorantiæ abyſſo, violatis vinculis liberare. Denique hic etjam notari velim, quod Author hoc in loco ſui operis encomia ebuccinare admodum nitatur.

TEXTUS XII.

Adeoque etjam lib. 2. & 3. ubi eandem mecum tractat materiam, hoc diſcriminis eſt inter nos, quod quæ ipſe tranſumit à veteribus, ego è rerum natura eruo, & ab ipſis fundamentis conſtituo: Ipſe, quæ accepit ea confuſa (propter variantes tradentium ſententias) & incorrecta uſurpat; ego naturali ordine procedo, ut omnia ſecundum leges Naturæ ſint emendata, & confuſio vitetur; adeoque ne quidem ad veterum placita applico conſtituta, niſi ubi confuſio nulla ſequitur.

ANALYSIS.

EX hoc quidem contextu tria elicimus notatu digna, videlicet primum eſt egregia proprij operis, imo vero & ſui ipſius commendatio; quam quidem Author exaltare videtur tam errorum mei ſubjecti patefactione, quam autorum veterum contemptu, ac ſi à propria inventione Harmonia ejus effluxerit aut virgineus ejuſdem partus, tanquam à Minervæ ſecundæ cerebro procedens: Hinc ergo Authorum ſeu Philoſophorum, imo vero & Mathematicorum Veterum opiniones funditus tollere atque ſubvertere conatur; atque tum ultimo loco meam ignorantiam atque inſcitiam mundo propalare tentat. Quod ad me (ut retrograde incipiam) attinet, primum nihil propriæ meæ inventioni attribuit, ſed, quicquid à me ſcriptum eſt, illud omne à veteribus me extraxiſſe aſſerit: Tum poſtea ſuo modo pergit, & erroris illius mei augmentandi gratia dicit, quod, *quæ ex illis authorib. acceperim, ea confuſa & incorrecta uſurparim.* Ad priorem ejus de hac re aſſertionem quod attinet, concedimus atq; agnoſcimus, veriſſimum eſſe illud ſapientis axioma; *Nihil eſt jam dictum; quod non erat dictum prius.* Et tamen aliquid nonnunquam additur, aut fingitur melioris & brevioris methodi cauſa: Quod quidem ſi author ipſe negaverit proprij ejus operis fundamentum nimis fragile & ruinæ ſubiectum deprehendetur. In mea ſane Muſica artificiali totum Muſicæ myſterium, imo vero omne illud, quod in Muſica excogitari poteſt, more methodico in templum ſeu templi imaginem hieroglyphicam redegi; quam quidem inventionem nemo hactenus unquam excogitavit: Ad cujus fabricæ concentum ſi veterum optimorum Philoſophorum & Mathematicorum teſtimonia ac authoritates produxerim, id mihi potius in honorem & laudem vertendum exiſtimavi, quam ut vllum ob eorum teſtimoniorum confirmationem opprobrium mihi naſceretur. Sed cum me Authorum illorum dicta confuſa & incorrecta vſurpaſſe dicit, pro meris verbis, ventoq; ab invidia canina orto hæc ejus dicta accipimus, cũ nullam vel confuſionis vel incorrectionis inſtantiã producere valeat. Me condemnat; ſed rationẽ veritatis in lege ſua ignorat: Se laudat, & vice verſa alicujus laudis teſtimonium non invenio. Proportiones meas muſicas *in fine ſuæ appenditis* verbis confuſis depravare videtur; & tamen nemo mortalium juſtitia ductus ullã proportionum in templo meo expreſſarum culpam (ſat ſcio) invenire poteſt. Quare hæc ſunt verba inania, voceſq; abſurdæ; Nec quidẽ verus poteſt is eſſe Muſicus, qui tanto antipathiæ vitio laborat. At ſi hæc mea confuſio atq; incorrectio ab ipſo allegata in mala cauſarũ concordantium conſiſtat inquiſitione, (uti ille vult) quam quidem ipſe tã in veteribus, quam in me corrigere, & dicta noſtra illa in re refutare conatur, faciemus quidem, ut oculis apertis percipiat in *replicatione ad textũ ſequentẽ*, rem lõge aliter ſeſe habere, quam ipſe putavit, ubi ſpero, me ipſi proprio ejus nummo ſolutionem facturum. Quod vero ad Authorũ teſtimonia attinet, eſt quidem Philoſophorũ mos rationibus ſuis Philoſophorum ſententias adiungere. En ergo & ecce; Author in Scyllam ipſam incidit Charybdin evitare ſtudens, dum alterum pro imitatione opinionum aliorum accuſat, qui in eundem plane errorem (ſi quis ſit) ipſemet incurrit; quatenus agnoſcit, ſe inventionem de 5. corporibus regularibus accepiſſe à Pythagora; *in Proœm. lib.* 1. Copernici doctrinam de Planetarum motu cœlorumq; poſitione ſequitur, ut *lib. 5. cap.* 3. habetur; & alibi multis in locis: Schonerum laudat, ejuſq; doctrinam confirmat & amplectitur, *Proœm. lib.* 1. Procli ſententia confirmatur in opinione ejus, quod 5. corporum regularium ſenſus à quinq; elementis ad Planetas & intervalla eorum ſit transferendus. Et *lib. 2. prop.* 25. dicit; *Mihi videtur conſentaneum, eandem de 5. corporibus doctrinam fuiſſe, ſed occultatam more ſectæ.* Ariſtarchum Samium agnoſcit & ſequitur; Tychonis Brahei hypotheſes extollit *cap. 3. lib.* 5. Et tamen ipſe jactat, ſe materiem ſuæ Harmoniæ è rerum natura eruere, & ab ipſis fundamentis conſtituere, naturalique ordine procedere, ut omnia ſecundũ naturę leges ſint emendata, & confuſio vitetur: adeoq; dicit, ſe nõ ad Veterũ placita applicare conſtituta. Videatis, obſecro quam ſibi incõſtans ſit in ſuis aſſertionibus.

Loco hujus contextus intermedio doctrinæ Authorum Veterum confuſionem detegit, & errores corrigendos introducit, quos propter variationẽ opinionum oriri dicit: Ego vero in Muſica mea artificiali opiniones Pythagoræ, Boetij, & Guidonis ſecutus ſum; quorum quidem ſententias ſequi atque amplecti malo, quam illius, qui vera ſcientia multis gradibus ijs eſt poſtponendus. Et certe hoc nihil certius, ſi Joannes Kepplerus Pythagoræ & Boetij in myſterio Naturæ profunditatem recte intellexiſſet, veritate coactus clamaret ſtatim; Peccavi, Aſtronomia mea eſt falſa, nec eſt alia quidem præter illam unicam Sophorum; Harmonia mea ficta atque imaginaria; cum jam videam, non eſſe niſi unicam & eandem mundi harmoniam, ex varijs corporum reſiſtentijs cõſonantias diverſas procreantibus, conflatam, hocque in Naturæ progręſſu ab imperfectione ad perfectionem: Nam abſurdiſſimum eſt dicere, regreſſum fieri à perfecto ad imperfectum; ſed ſemper ſecundum naturæ leges imperfectum tendit ſuo motu ad perfectionem. Temerarium ergo eſt in eo, hos Authores vere doctos condemnare, antequam verborum ipſorum ſenſum recte & ex mente ipſorum, ac non ſuo more concipiat. Confuſa evitare cupit, & hac quidem curioſitate ſua ſeipſum confundit; eligit deteriora; meliora recuſat. Hæc ergo eſt ratio, quod ipſe ſuo conceptu exaltatus, in *Proœm. lib.* 1. Petrum Ramum condemnat, Ariſtotelis de quinque proportionibus corporum expoſitionem vanam facit, Pythagoram ipſum accuſat erroris in numeris ſuis harmonicis *libro tertio Proœm.* & Ptolomæi culpam circa numerum Harmoniarum & intervallorum concinnorum patefacit. Denique *lib. 5. cap.* 3. Hypotheſes Aſtronomicas antiquas Ptolomæi damnat cum Theorijs Purbachij, omninoque

abijcien-

abijciendas ſuadet. Deus bone;quantum eſt in homine iſto ingenij acumen; qui in tantorum virorum doctrinæ medullam, eorum peccata obſervandi cauſa poſt tot ſecula jam elapſa irrepſit atque penetravit,ut tandem mundum ab erroribus tam diu latentibus purgare queat;Aut quam groſſa fuit mundi antiqui ſpeculatio,quod ante hoc tempus in Aſtronomiæ & Muſicæ Veterum errores inſpicere non potuerit.

Sed jam ad ipſius philautiam & ingentem in naturam inſpectionem redeamus: Cujus quidem rei duas in hoc contextu impreſſiones invenimus; quarum prior eſt; *Ego materiam harmoniæ meæ è rerum natura eruo,& ab ipſis fundamentis conſtituo:* Altera; *Ego naturali ordine procedo, ut omnia ſecundum leges naturæ ſint emendata,& confuſio vitetur; adeoque ne quidem ad Veterum placita applico conſtituta,niſi ubi confuſio nulla ſequitur.* Cum igitur jactitet, ſe in libris Harmoniæ ſuæ mundanæ naturæ ſacrarium aperuiſſe, & in eo veram ac naturalem rerum harmoniam præ omnibus inveniſſe, & ex naturæ gremio ac fundamentis extraxiſſe,utique, libros ejus pervolutare fas erit,ut inde colligamus; an hujuſmodi naturæ revelatio ibi facta ſit,nec ne: ſimiliter, an ordine & methodo tam naturali progrediatur ad corrigendum confuſiones Authorum. Librum ſuum *primum* diſtribuit in definitiones & propoſitiones geometricas de ſuperficiebus multiformibus laterum æqualium, quas regulares vocat, quibus ingreſſionem magis promptam ad corporum ſuorum regularium compoſitionem facit, ex quarum proportione harmoniam ſuam elicere videtur. Has figuras planas,de quibus in *hoc libro* tractat,facit vel perfecte regulares, in quibus omnia latera & anguli ſunt æquales; atque has iterum dividit in primas & radicales,vel auctas, quæ videlicet ſua latera excedunt continuatis alicujus radicalis lateribus non contiguis ad concurſum,atque has ſtellas vocat: Vel minus perfectas ſeu ſemiregulares, quæ angulos variant,licet latera ſint æqualia; ut Rhombi. Hic multos recenſet ſcientiæ gradus ad figuras angulares pertinentes.Habet etjam propoſitiones multas ad Tetragoni,Octogoni,Hekkædecagoni, Trigoni, & Hexagoni, Heptagoni, Dodecagoni,& ſtellæ ejus Decagoni cum ſtella ejus; Pentagoni cum ſtella, & hujuſmodi aliarum figurarum angularium regularium latera pertinentes; ſimiliter de circulo varijſque ejus ſectionibus tractat,atque ſic librum illum finit; ubi nihil ad veram Naturæ mundanæ harmoniam invenimus; ſed facit comparationem quandam Geometricam inter figuram angularem unicam & alteram: Quæ quidem ſi ſit harmonia,eſt equidem analogica & à ſimilitudine ſic dicta,& non revera,vel potius Harmonia Mathematica,& imaginaria; non Naturalis,quæ fit inter actiones benevolas & paſſiones optime diſpoſitas animæ mundanæ cum ejus ſubſtantia materiali; ita ut nunquam fuerit intentio Philoſophorum; quod harmonia naturalis conſiſtat in dimenſionibus Geometricis; quippe quod anima agens menſuram non patitur viſibilem. In *ſecundo libro* agit de figurarum congruentia,quam facit vel planitiei: atque hanc facit vel perfectam, cum anguli plurium ſuperficierum ſinguli ſic ad punctum concurrunt, ut nullus relinquatur meatus,ſed omnes concurſus ſimiles ſint; eſtque hujuſmodi congruentia figurarum ejuſdem ſpeciei, vel imperfectam, ubi eſt ſimilis figurarum diverſarum ſpecierum commixtio: Vel eam facit in ſolido; eſtque perfectiſſima,cum anguli figurarum ſive regularium ſive ſemiregularium ejuſdem ſpeciei concurrunt; Vel perfecta,ſed inferioris gradus, cum ſcilicet figuræ angulis convenientes ſunt diverſarum ſpecierum; Vel imperfecta congruentia eſt,cum,cæteris manentibus,major figura non ſæpius quam ſemel vel bis reperitur. In planis ergo Trigonum cum tetragono convenire dicit, ſic etjam pentagonum cum ſua ſtella; Hexagoni etjam conveniunt; Sic Octogonus & Decagonus cum ſuis ſtellis, & Dodecagonus cum ſtella ſua &c. In corporibus ſemiregularibus congruentiam narrat *Prop.* 27. *&* 28. De perfectiſſime regularibus *Prop.* 25. *&* 26: Et *Propoſitione* 25. illa quinque corpora perfectiſſima & regularia deſcribit, de quorum proprietatibus Pythagorei Plato & Proclus tantum cecinerunt. Atque hic vim harmoniæ mundanæ conſiſtere credit; adeoq; hæc eſt vis *libri ejus* 2. ubi videmus; quod harmonia hæc ejus,quam congruentiam figurarum vocat, ſit tam imaginaria, quam ejus ſtellæ ſunt fictæ,& à natura Phyſica quam longiſſime diſtantes. Nec quidem Pythagoræ & Platonis intentionem intelligit in myſtica eorum alluſione ad quinq; iſta corpora regularia. *Libro tertio* agit primum de Muſicæ inventione,numeris Pythagoricis,& Tetractij Pythagorico per definitiones,axiomata,& propoſitiones multas ad conſonantiarum muſicalium cauſas ſuo more inquirẽdas,ſimiliter de proportionum harmonicarum inuentione ex varia chordæ ſectione: Tractat etjam medietates harmonicas,intervallorum concinnorum ortum,ubi Veterum opiniones confutare nititur,ſectionem conſonorum intervallorum in concinna; Cantus genera, Molle & Durum; Conſonantiæ Diapaſon intervallorum numerum; Monochordi ſectionem, ſyſtematum compoſitionem, conſonantias adulterinas,Cantum naturaliter concinnum,modos melodiarum, & hujuſmodi alia; ita ut in *hoc libro* nihil præter meram Muſicam artificialem inveniamus ex plurium Authorum Veterum libris decerptam;ubi nihil ex proprio invenimus, niſi quod Veteris intervallorum inventionis rationibus contradicere geſtit. In his igitur *tribus libris prioribus* Author ſecundum promiſſum ſuum neque harmoniæ ſuæ materiam è rerum natura eruit,aut ab ipſis fundamentis inſtituit, neque etjam naturaliter proceſſit,ut quicquam ſecundum naturæ leges emendetur, quo confuſio uitetur. Progrediamur ergo ad *librum* ejus 4.In eo quidem, priuſquam ad plenum ſubjecti ejuſdem fluxum per-

veniat,Harmoniam dividit in ſenſibilem vel ſecretam & puram à rebus ſenſibilibus remotam: Ad illius conſiſtentiam ergo & eſſe quatuor concurrere dicit,videlicet duas res ſenſiles ejuſdem generis & quantitatis,Animam comparantem vel diſtinguentem,ſeu ſenſibilium receptionem, & idoneam proportionem; quam Harmoniam vocat; ita ut ibi multis verbis narret,quod ad eſſe Harmoniæ ſenſibilis requiratur Anima numerans; ſine qua tollitur numerus; ac docet, quomodo exteriora in animam recipiantur, & actionum ac paſſionum gradus explicat: Docet etjam, quod hujuſmodi harmonia ſit quodammodo abſtracta à rebus. Alteram vero harmoniæ ſpeciem quam ſecretam, puram,& inſenſilem appellat,Archetypos ſeu Paradigmata vocat ſenſibilium harmoniarum. Has quidem harmonias Archetypicas diviſas & numero plures eſſe vult,dicitque ad eas duos requiri terminos,videlicet vel circulum totum vel ejus partem ſeu partes aliquot. Hic ergo tollere videtur omnem harmoniam præter circularem: Deinde etjam præter terminos mentem quoque requirit ad hujuſmodi harmoniarum exiſtentiam; atque ibi narrat, quomodo ſpecies rerum Mathematicarum inſit in anima; diſcriminaque inter Ariſtotelem,Platonem, & Proclum hac in re profert, cum dogmatibus eorum; atque hujuſmodi alia, quæ relationem arguunt inter mathematicam iſtam ejus harmoniam & mentem ſeu animam: Animæ facultates ad harmonias formare aggreditur: Atque tum demum in propoſitum libri iſtius ſubjectum incidit, quod videtur ad harmoniam ſecretam & puram (ut dicit) pertinere; Et ad ejuſmodi harmoniam proportiones ejuſdem concurrere vult,quæ in illa ſenſili inveniuntur: Sed nomine differunt; nam quod in ſonis Diapaſon dicitur, in radiationibus aſpectus oppoſitionem nuncupari vult: Similiter in hoc comparat Muſicam vocalem cum mundana; quod, ut in Muſico ſyſtemate vel ſuperior eſt vel inferior; vel acutior vel gravior vox humana, vel ſonus ex organis,ſic etjam Meteorologia eſt multiplex; Vel enim Saturni,vel Jovis,vel alterius copulæ,vel ex ſignis æquinoctialibus vel ex Tropicis. Harmoniam iſtam cœleſtem & inſenſilem,quam hic tractat,dicit eſſe angulorum,quæ tam in motu conſiſtunt; quam illa ſenſilis in ſono: Nam has harmonias angulis ineſſe dicit; quos bini Planetæ radijs lucidis emiſſis formant in terra: Quare iſtam mundi harmoniam mixtam facit reſpectu illius vere cœleſtis (ut ait) factæ in terra à duobus duorum Planetarum radijs: Tum pergit ad efficacium configurationum cauſas; ubi primum de angulis agit, quos duo Planetæ ſuis radiationibus faciunt in terra; ſimiliter de radiationum cognatione & congruentia; deinde de gradibus aſpectuum; quorum priorem conjunctionem & oppoſitionem facit, ſecundum Quadratum; tertium Trinum; Sextilem & Semiſextilem, quartum Quintilem, Biquintilem, & Quincuncis, quintum & ultimum; quem omnium imbecillimum facit; Decilem & Tredecilem; Octilem & Trioctilem. Sextilem ergo facit reſpondere Tertiæ conſonantiæ molli; Quintilem tertiæ duræ; Quadratum Diateſſaron, Trinum Diapente; Seſquadrum ſextæ molli; Biquintilem ſextæ duræ; Oppoſitum Diapaſon. Virtute ergo horum aſpectuum angulos varios in terra facientium propter animam quandam peculiarem vapores,fumos,& exhalationes,tempeſtates,& meteora tam aquea & ventoſa, quam ignita in aere excitari,& mutationes naturales in aquis & ipſa terra fieri dicit; quam ideo animal vocare auſus eſt. Hæc eſt quidem vis *libri* ejus *quarti*, qua unam harmoniæ naturalis ſpeciem acu quaſi tangere videtur. Videamus ergo ſi in hac materia harmoniæ tantæ conveniat cum rei veritate; & an eam è rerum naturalium fonte eruat,necne; & an ordine naturæ progrediatur; ut confuſio evitetur. Quod ad radiationum quidem harmoniam attinet, an in ea ſit ordo ille exactiſſimus naturæ; quo ſed confuſionem evitare & incorrecta corrigere gloriatus eſt; inquiramus: Primum igitur veriſimile videtur; quod radiatio duorum Planetarum angulos in terra faciens non ſit cauſa tempeſtatum, aut aeris mutationis; ſed potius influentiæ cujuſdam virtus occulta & admirabilis, aerem ad naturam & appetitum ſuum huc atque illuc flectens. Hinc quidem non inepte dixit ſapiens; quod *aer converſatione ſolis circumiens properet, & ſecundum circuitus ſuos revertatur aer*: Unde liquet, quod aeris motus qualeſcunque non propter aliquam peculiarem terræ animam imaginariam ratione angulorum in terra *factorum* ad tempeſtates promovendas excitentur,ſed propter ſpiritus Solaris,vel potius Sapientiæ ubique agentis virtutes, ſecundum ejuſdem in cœlo diſpoſitiones in alios Planetas natura & motu variantes,quibus ille lumen,vitam,& animam dat: Unde vis quidem radiationum præcipue eſt in aere,tanquam animæ mundanæ ſpiritu inferiori vel actus illius receptaculo prono ad hoc vel illud aut ignea,aut aquea,aut flatuoſa operandi diſpoſitione:Eſt enim potius terræ anima & vita ab aere,& in aere,quam ut aeris motus ſive naturales ſive accidentales ab ea procedant; Vitam n.dat aquis,vitam terræ,& vitam omnib.ex ijs compoſitis:Videmus etiam ventos in aere naſci (qui unde veniant iuxta ſcripturarum ſermonē difficillimum eſt ſcire, licet Ariſtoteles eos terræ ſuſpiria faciat:) videmus,inquam,eos maria varie affligere,tempeſtateſq; in ijs exagitare,terræ montes, ſcopulos, & arbores violenter diruere. Eſtne hoc animæ terreſtris proprium, ſibi ipſi tam crudeliter adverſari; membraque ſua propria deſtruere ac dilacerare? Pluviæ etiam,nives, tonitrua, Cometæ (*ex theſauris Dei extracta* juxta Bibliorum ſacrorum doctrinam) in aere gignuntur & oriuntur; Quantas ſtrages & ruinas in terram exagitet neminem latet; uti & in mare: Quare tetrum illud foret, ſi hujuſmodi terræ damna à propria ejus anima derivarentur; quin potius ab univerſa

mundi

mundi anima illa procedunt; utpote quæ in ſuo vehiculo aereo, tanquam paſſivo ſuis actionibus magis apto, affatim natare & agere ſolet; idque eo magis ſi ſimile ipſius è cœlis impluit; quæ quidem influentia eſt eo fortior, & in actu ſuo diverſior, cum à conſpectibus & radiationibus duabus in aere (qui eſt commune cœleſtium influxuum receptaculum) angulum facientibus fortificatur. Atque tum ipſa terra, quæ vi magnetica continue exhalat, iſtum ſpiritum ſuſcipit, illumque nonnunquam diu retinet; quatenus ejus pori omnes vacui aere implentur; eumque tanquam ſemen in fœminæ matrice retinent, ubi ſecundum influentiarum virtutes res variæ in terræ utero, imo vero in ejus ſuperficie procreantur. Nonne videmus etjam in marmore, duriſſima & firmiſſima terræ parte, ipſum aerem influentiis humidis oneratum illud corpus compactum penetrare; ſalemque ejus internum hujus madore reſolutum ſudores copioſos, pluviarum futurarum indicia emittere? Nonne ipſam terram quaſi pluviarum abundantia præfocatam quandoque & ſubmerſam cernimus, ac veluti hydrope laborantem? Unde tanta aquæ quantitas, ſi non ab aere; cum terra plus dare non poſſit quam habet? nec à mari procedit, quia ejus magnitudo non diminuitur. Ad producendum diluvium Noæ non ſolum *terræ abyſſus dilatata eſt*, ſed etjam *cataractæ cœli & feneſtræ eiuſdem*. Quod autem nubes & pluviæ ex aeris condenſatione conflentur in Tractatu noſtro Macrocoſmico oſtendimus. Concludimus igitur, quod in regno mundi inferiori aer ſit ſpiritus vitæ, cujus anima eſt ignis & per conſequens eſt immediatus receptor influentiarum & radiationum cœleſtium quarumcunque, quas poſtea in terræ viſcera infundit. Atque hinc non inepte fecerunt Philoſophi ſapientiores, ignem & aerem elementa agentia, aquam vero & terram patientia: Unde peſſimum eſſet credere, patientia magis in activa agere, quam hæc in illa. Nec ſane ſunt hujuſmodi radiationum anguli Mathematici, uti Author vult, ſed phyſici, & pyramidibus corporeis ſeu vere ſubſtantialibus ſimiles; quatenus binæ luces à baſi ad conum uſque ſpiritum aereum poſſident, non aliter quam in ignis vel candelæ flamma videmus: Dicimus igitur in primordio *Spiritum Domini*, qui eſt anima totius, *moviſſe & vectum fuiſſe ſuper aquis*, & non in tenebris, aut terræ; Unde probabile eſt, radiorum viſibilium angulos in aere factos eſſe, & non in terra. Ejus autem de terra opiniones paucis *infra* examinabimus; atque hic jam ad radiationum naturas & harmonias procedam. Percipio ego, ipſum metas veterum Philoſophorum excedere in radiationum numero, ut aſpectuum ſuorum negotia crinibus quaſi ad Harmoniæ ſuæ intentionem pertrahere poſſit. Antiqui non agnoverunt niſi Conjunctionem, Sextilem, quadratum, trinum, & oppoſitionem: Ipſe addit Semiſextilem, Quintilem, Biquintilem, & Quincuncem; imo quidem & Decilem; & Tredecilem, Biſextilem & Triſextilem; ita ut plures videatur ſtatuere radiationes, quam in Zodiaco ejus Archetypico ſunt partes integrales; quibus, ſecundum ejus ſententiam hi aſpectus dedicantur & aſſignantur. Sed hoc dixit, ut comparationem faceret inter corpora regularia mathematica, & radiationes iſtas, quo hoc modo eaſdem Harmoniæ proportiones & conſonantias attribueret illis, quas hiſce aſſignavit. Diapaſon ergo dat aſpectui oppoſitionis: Quod quidem, ut mihi videtur, incongrue factum eſt; eo quod Diapaſon eſt omnium conſonantiarum completiſſima, perfectiſſima, & magis conſonans; At vero ab effectu comprobatur quam lethales & violentæ ſint hujus aſpectus actiones, hic in terra; cum in oppoſitione Lunæ cum Sole, imo vero & aliorum Planetarum, ac præcipue malevolorum maximum in morbo periculum imminere percipiamus, campanaſque in templis minime ſilere; quod quidem in locis peſte laborantibus vulgare eſt ſcire. Unde hic aſpectus diſſonantiæ potius & antipathiæ loco quam perfectiſſimæ conſonantiæ & ſympathiæ æſtimandus eſt. Cæteræ etjam conſonantiæ ad aſpectus bene comparatæ, debita examinatione facta, non alium habebunt ſaporem. Nec quidem æſtimamus nos, Aſtrologos pluribus indigere radiationibus, quam quinque; quippe ex quorum diligenti obſervatione majores mundi mutationes elicere licet; Namque nimis erit ſcrupuloſum fractiones & minutias, in quibus tam exigua tamque obſcura ſit rerum diſcrepantia, indagare & conſiderare, cum in majoribus illas ſignificationes includi & contineri conſtet. At vero, ut ad ejus de Terra opiniones deſcendam *fol.* 158. dicit; *Cum ſemper in terra coeant Planetarum radij, pluviæ tunc potius decidunt, ſi radij binorum Planetarum faciant angulos 60. grad. quam 59. aut 63.* Reſpondeo, quod radij Planetarum coeant primum in aere ubi mixtiones ſuas accipiunt, & non in terra: Unde nubes in eo generantur, antequam fertilitatis inducendæ gratia in terræ matricem pluvia cadit, nec oritur nubis vapor à terra. *Fol.* 160. *Animam eſſe oportet, quæ ab aſpectu admonita & velut excitata ciet meteora & tempeſtates, &c. Sequitur igitur, ut anima hæc, quæ ad præſcriptum aſpectum ciet aerem, hic in terris ſit.* Reſpondemus, quod non ſit aliqua anima peculiaris, & multo minus terræ, quæ quieti amiciſſima eſt, & per conſequens animæ actui contraria, ſed anima unica mundi, quæ in elementis & ſpiritu aereo inviſibiliter natans, tanquam in vehiculo ſibi proprio, alterationes facit: Nam, ut homo microcoſmus unicam tantum habet animam ad ſuum corpus dirigendum, ſic etjam Macrocoſmus ab unico illo ſpiritu gubernatur divino; qui ferebatur ſuper aquas igneam virtutem ijs univerſaliter exhibens. Aeris enim anima, quæ ab illa Solis non eſt magis diviſa, quam radius à ſuo corpore, inſtinctu cœleſti non aliter varios producit effectus, quam cœlum influxu Archetypico, divino, & ideali; quod cœli vocabulum tam aeri quam ætheri reſpondet. *Fol.* 160. *Cum materia pluviarum, ventorum, nebularum, tonitruum, Chaſmatum, quæ tempore aſpectuum eliciuntur,*

tur, ſit vapor humidus, vel ſpiritus alius ſiccus & igneus ex terra ebulliens & exhalans &c. Hanc ejus aſſertionem prorſus negamus: Dicimus enim, quod materia prædictorum meteororum ſit in occultiſſimo elementorum gremio, ſeu theſaurario divino in aere tam viſibiliter quandoque apparente, ſed utplurimum deliteſcente. Quid opus eſt opinione Ethnicorum, aut ijs qui ſola imaginatione, & à poſteriori occultas rerum naturas deſcribunt? Ego omnia eorum Scripta hac in re legi & relegi tam bene quam Author; & tamen inde non evaſi doctior; Convertens ergo animum & oculos ad fontem totius Sapientiæ, Biblia nempe ſacta, in ijs inveni certiora horum naturæ arcanorum indicia: Nam apud *Iob.* 27.9. legi, *Glaciem Deum fortem edidiſſe flatu ſuo*: Et *Exod.* 9. *Dimiſit Iehova pluviam cum grandine ſuper terram*: Et *Pſalm.*147. *Nives emittit Deus in terram ſicut lanam &c. Simul ac efflat ventum ſuum, effluunt aquæ*: Et *Iob.*13. *Noſtine, cum diſponit Deus de nubibus, ut ſplendeat lux nubis ſuæ?* Et *Iob.*38.22. *Perveniſtine in theſauros nivis, aut in theſauros grandinis inſpectionem habes?* Et *verſ.*38. *Quis ſaphirinas nubes effecit ſapientia, & utres cœli quis proſternat?* Et *Iob.* 36. *An intelliget homo differentias ſeu extenſiones denſarum nubium & tonitrua ſeu fragores firmamenti, ſeu tugurij Iehovæ? Tonat Deus voce ſua mirabilia. Cum nivi edicit, eſt in terra, aut imbri ac pluviæ, deſcendunt in terram &c.* An noſti vbinam ſit via, in qua dividitur exhalatio, quæ ſpargit ventum ſuper terram? Similiter, cum ſpiritum ſuum tranſmiſit Deus, ut ſedarentur & imminuerentur aquæ diluvij, juxta illud Geneſ.18. anne procedebat hic ventus à terra, cum, ipſo aſſeverante, ventus ſit exhalatio calida & ſicca? Certe hoc fieri impoſſibile eſt, quia tota terræ vis ſicca humiditatis immenſæ violentiæ immerſa erat; imo vero, & ipſa anima terræ, quam flammam vocat, ſubmergeretur procul dubio & præfocaretur tanta aquarum quantitate, ſi quid tale eſſet. Ex quibus patet, quod pluviæ, imbres, nives, grandines, tonitrua, chaſmata, venti è theſauris occultis Jehovæ, mediante verbo, extrahantur, & non à terra, uti ipſe opinatus eſt inſulſe: Nam aut ſacræ ſcripturæ falſæ ſunt, aut ejus aſſertiones adulterinæ, cum teſtetur ſcriptura, quod cœlum ſit *theſaurus* optimus *Iehovæ*, quem *aperiendo dabit pluviam terræ ſuo tempore Deut.* 28.12. & *claudendo eum, non ſit pluvia in terra* ad edendum proventum improbis *Deut.*11.17. Nonne etjam appellantur *Venti Exod.* 15.8. *flatus narium naturæ*? Sunt igitur in aere occulta Jehovæ myſteria tot ac tanta, ut impoſſibile ſit humano ingenio ea recitare: Imo vero aer hic eſt ejus vita ſeu anima lucida cum ſpiritu, qui aſſidue & continue illam penetrat ac vivere facit: Qui quidem aer contractus nihil aliud eſt, quam ignis in aqua, ſeu anima groſſa in ſpiritu tali agitata ad hanc vel illam agitationem, videlicet igneam vel aqueam multiformi ratione ex voluntate Jehovæ. *Fol.* 160. *Denique terræ globus tale corpus erit, quale eſt alicujus animalis; nam ut animali eſt anima, ſic etjam anima telluri, quæ præſentia aſpectuum movet tempeſtates.* Reſpondeo, quod terræ adſit anima, ut anima totius dicitur eſſe in qualibet ejus parte; ſed non, ut diſtinctam habeat animam ab illa mundi univerſi, quam ipſe poſuit in ſole ſpirituali, cujus anima eſt Metattron. Porro intelligat velim internum cujuſque rei eſſe ipſum cœlum, quod per ſe operatur abſque cœli magni harmonia: Sic ignem videmus comburere & agere ſine ulla aſpectuum cœleſtium coactione. *Fol.*160. *Eſt terra animal non tale, quale canis ad omnem nutum promptum, ſed tale, quale Elephas aut Bos tardum ad iram.* Ad hanc ejus aſſertionem dicimus, quod probet hoc ipſo contra Copernici ſententiam, Terram non eſſe aptam ut circumferatur ſpatio 24. horarum cum naturaliter ſit tam ſegnis & tarda ad movendum. Denique ad multa inania excurrit, ut probet terram eſſe animal per comparationes factas inter pilos animalis & gramina cum plantis, inter pediculos & erucas, ac cicadas, inter lachrymas & electrum, inter potum & maris abſorptionem. Auditum dat terræ, quia lapillus in ejus hiatus ſeu profunda foramina injectus ſonitum edere ſolet, non conſiderando, quod hic ſonitus ab aere procedat incluſo; cujus occulta virtute etjam fit, ut tempeſtates dicantur excitari commotione quorundam lacuum. Morbos etjam & languores aſcribit terræ propter cruditatem & concoctionis imperfectionem. Cui dicimus, quod peſſima & malevola ſit ejus anima, quæ ſuum corpus ita infirmitatibus affligere ſolet. *Fol.* 162. *Fluxum & refluxum maris inſpirationem & expirationem terræ arguere aſſerit*: Cui dicimus, miraculoſum eſſe hujus animalis corpus, quod plus aquæ inſpirando aſſumere ſolet pro vice una, quam propria ejus eſt quantitas: Nam diſputatio eſt haud exigua, an mare vel ipſa terra ſit major. *fol.* 163. *In tellure anima (quæ reſpiratione ſcilicet & ſorbitione foveri videtur) argumentum eſt caloris ſubterranei perpetui, & ſenſibilis.* Dicimus, quod ſi vere hoc ita ſe habeat, mirum quidem ſit, quomodo iſta flamma magni diluvij invaſionibus reſiſtere potuerit. Agnoſco equidem, Archæum in centro terræ præſtare ibi ſuo more naturæ opera, & ſolem eſſe centralem, qui ibi operatur, ſuoque fungitur officio; ſed, quod hic ſol vel ille Archæus ſit flamma ignea prorſus nego, licet flammæ quidem Typhoniæ nonnunquam ex terra exurgere percipiantur; quæ tamen longe alia ratione evenire à Sapiente Philoſopho dignoſcuntur, quemadmodum flamma ex nube denſa ac ſcintillæ ex ſilice. *fol.* 163. *Habet Deus non exemplaria tantum geometrica ſecum &c.* Negamus nos lineas aut ſuperficies poſſe imaginari in Deo, qui eſt unitas; licet apud eum cognita fuerint numerus, pondus, & menſura. Sed illa quidem menſura non pertinet ad Geometriam vulgarem; quin potius ad illam mere formalem, quam nemini ſcire conceditur, cui numeri & literæ formales ſunt incognitæ. *fol.* 163. *Relucet igitur in anima telluris imago quædam circuli Zodiaci ſenſibilis, totiuſque adeo firmamenti, vinculum ſympathiæ rerum cœleſtium & terreſtrium.* Affirmamus etjam, quod imaginaria, vel, ſi vis, idealis figura Zodiaci materia-

lis

lis cœli tam in ſtellis & quolibet alio elemento imprimatur, quam in terra: Quare, cum Zodiaci idea prius perveniat ad aerem, quam ad ipſam terram, neceſſe eſt, ut aer propter facilem receptionem influentiarum ejuſdem prius agitetur ab ijs vel ad bonum vel ad malum, atque ut deinde in matricem terreſtrem influxus illos transfundat; ubi aer hic (qui extra terram eſt ignis expanſus, & in terra ignis contractus) ad maturitatem ſemina infuſa perducere feſtinat: Atque ſic in cæteris. Ex quibus luce meridiana clarius apparet, quomodo is, qui omnes præter ſe ipſum condemnat, materiam ſuæ harmoniæ male è rerum natura eruat, & quod opiniones habeat confuſas, & correctione ingenti indigentes. Eſtne hoc ergo naturali ordine procedere, & omnia ſecundum naturæ leges emendare ac confuſa vitare? Atqui jam ad *librum ejus ultimum* orationis noſtræ filum convertemus: Ibi corpora illa quinque Pythagorica, Cubum videlicet, Tetrahedrum, Dodecahedrum, Jcoſaedrum, & Octohedrum præparat, & ad intervalla Harmoniæ ſuæ cœleſtis adaptat: Quare in principio proportionum harmonicarũ cognationem cum illis corporib. deducit; quarum primam facit cũ characteribus earũ ad invicem; ſecundã ab ortu, ut 1.2. & 2.3. & 3.4. & 4.5. tertiam ex numeris laterũ planorũ cum numero laterũ figuræ comparatorum, uti proportionẽ Cubicam 4.12. ſeu 1.3. Tetrahedricã 3.6. vel 1.2. &c. Porro etjam comparat corpora inter ſe; ac tũ poſtea accedit ad eſſentiã rei ſuæ harmonicæ: cujus ſubjectum præcipuum, quoniam *cap.3.lib.5.* incluſit, ad brevẽ illius analyſin progrediemur. Imprimis ſuadet Lectori, ut Hypotheſes Aſtronomicas antiquas Ptolomei, quemadmodum à Purbachio & cæteris explicatæ ſunt, penitus ab animo & conſideratione reijciat & removeat; idque propter hanc rationem, *quoniam veram corporum mundi diſpoſitionem & motuum politiam non tradant.* Reſpondeo, quod hujuſmodi ſuaſionibus temere & inconſulte locum dare Sapienti minime conveniat; Primum, quoniam neminem in orbe terrarum Ptolomæo in Aſtronomia doctiorem & peritiorem unquam invenimus: Cur igitur eum reijceremus, ut novas Copernici, Tychonis Brahei & Keppleri inventiones, è Pythagoræ corporibus regularibus extortas, ac nequaquam ſecundum ejus & Platonis opiniones recte conceptas ſequeremur, niſi major rei veritatis probabilitas antiquam illam doctrinam declararet erroneam, quam etjamnum ex Keppleri ſcriptis colligere poſſumus? Ptolomæi atque omnium Aſtrologorum & Aſtronomorum antiquorum, imo vero &, (paucis exceptis) modernorum ſententiæ motum eccentricum & concentricum ſuo more approbaverunt, & ob hanc rationem Augem ac ejus oppoſitum poſuerunt, Augem orbemque Planetæ deferentem cum axe & polis proprijs, atque alium ipſum deferentem Planetam agnoverunt cum axe & polis eclipticæ; aliamque axem fecerunt Solem deferentem, aliam mundi; Cæteris vero Planetis Epicyclum cum ejus axe triplici, reflexionis ſcilicet, Declinationis & longitudinis, ſimulque triplicem iſtius Circuli motum, Directum, Stationarium, & Retrogradum aſſignaverunt. Quibus quidem obſervationibus calculationes motuum ſtellarum, tabulaſque approbatæ certitudinis compoſuerunt, Ephemerides doctas & in ſtellarum motibus quam exactiſſimas expoſuerunt; quibus temporum mutationes optime, etjam ad horam & minutam prædixerunt. Et certè, ſi hæc eorum doctrina tam ſpuria eſt, atque Kepplerus eam mundo propalare videtur, mirabile quidem foret, quod tot certitudines in aſtrorum motuum obſervationibus proferre potuerint. Quare doctis, ne temere Ptolomæi fundamenta deſerant, ſuadeo, ne pejoribus, & quæ minoris momenti ſunt, per curioſitatem inventis & acceptis, ranunculam pro bono piſce acquirant, & præſtantiora ingratitudinis vitio, & neglectus atque oblivionis ærugine inficiant.

Videamus ergo, quænam ſit hujus doctrinæ medulla. Facit terram unum ex Planetis, dicitque cum Copernico ipſam inter ſydera circa Solem immobilem ferri, atque confirmat ibi hanc Copernici ſententiam per hypotheſes Tychonis Brahei, aſſerentis; terram movere circa Solem motu ſui corporis reali, medium incedentem inter circulos Martis exteriorem & Veneris interiorem. Dico ego primum, quod videatur Sol nulla ratione poſſe eſſe immobilis propter ſuæ lucis abundantiam, quæ omnibus rebus mobilior exiſtit; quia veræ formæ, (cujuſmodi eſt lux) & actus officium eſt primo, ut neceſſario agat; deinde ut actiones ejus motus ſequantur convenit; quia actus effectus eſt motio. Unde mirabile eſt, quod Sol omnia movens (nam motus fontem in multis locis eum vocat) ſit immobilis, atque ita vetus illud Philoſophorum axioma confundatur; *Quod facit tale, id magis eſt tale.* At ſi Solem ipſum Deum intelligit, concedo quidem: Nam ſolus Deus eſt, qui omnia movet & non movetur; quatenus eſt extra omnia: Cæteroqui neceſſe eſt, ut Sol, cum ejus forma ſit effectus actus divini, taliter moveat cætera, qualiter ipſe à Deo movetur; Eſt enim corpus phyſicum, quod eſt naturaliter mobile. Diurno autem Terræ motu nihil quidem abſurdius poteſt excogitari: Cujus rei argumenta dedi ſufficientia in *Phyſico meo Macrocoſmi Tractatu*; ubi *cap.15.lib.5.* iſtam Copernici opinionem refellere ſum conatus. Deinde ſequantur quicunq; volunt Prophetas illos Heraclidem Ponticum, & Ecphantum, Nicetam Syracuſanũ, ac Ariſtarchum Samium, & tandem Copernicum ac Kepplerum: Ego vero Job: & Davidem Regem, atque ipſum Salomonem pro Prophetis meis eligam, qui hanc expreſſe cudunt ſententiam, Solem eſſe mobilem, terram vero immobilẽ. Quibus recte intellectis deſtruentur facile fundamenta harmoniæ Authoris, & per cõſequens deprehendetur male eruere materiã ſuæ harmoniæ è rerũ natura, & ab ipſis funda-

mentis. Tum dicit,penes omnes eſſe certiſſimum,quod Planetæ omnes Solem circumeant, excepta Luna,quæ terram ſolummodo habeat pro centro: Id tamen quod ego ad hunc uſque diem non percepi: Nam eſt mihi Aſtronomia alia magis propinqua, omnia hæc me vere docens: Non enim credo ego, omnes orbes cœli ſimulque ipſam terram circa Solem rotari; Solemque pro mundi centro haberi veritati haud conſentaneum eſſe probabo. Ulterius aſſerit, Planetæ eccentricitatem eſſe mutationem intervallorum ejus à Sole quem centrum facit; ibique demonſtrationem ocularem proportionum intervallorum unius Planetæ ab alio prodit: Deinde arguit, Numerum Planetarum ſeu curriculorum circa Solem deſumptum eſſe à Sapientiſſimo conditore ex quinque figuris regularibus ſolidis; Cubi enim angulis intimo Saturni circulo applicatis centra planorum fere tangere medium circulum Jovis; Tetrahedri angulis intimo Jovis circulo inſiſtentibus centra planorum Tetrahedri tangere fere Martis circulum extimum; ſic Octohedri angulis ex Veneris quocunque circulo ſurgentibus centra planorum Octoedricorum penetrare & profundius deſcendere infra Mercurij circulum extimum; neque tamen venire ad medium circulum Mercurij; (nam omni Planetæ aſſignat tres circulos quorum medio dat eccentricitatem Planetæ;) denique Dodecaedricorum & Icoſaedricorum orbium proportionibus inter ſe æqualibus omnium proximas eſſe proportiones ſeu intervalla inter Martis & Telluris,interque telluris & Veneris circulos,eaſque inter ſe æquales. Breviter,Cubum & Octoedron conjuges facit,atque etjam Dodceaedron & Icoſaedron. Petimus ergo,cum ita confidenter dicat Author, quod numerus Planetariorum curriculorum deſumptus ſit à ſapientiſſimo Conditore ex quinque corporibus, ut teſtimonium hujus rei aſſignet ex ſacris literis, cum in ijs mundi fabrica inveniatur quam exactiſſime. Super has ergo corporum regularium proportiones ædificare videtur conſonantias ſuæ harmoniæ: Unde Saturno & Jovi 1. 2. id eſt conſonantia Diapaſon attribuitur ab eo, ad cubum relata: At motuum Saturni & Jovis extremorum proportiones proprias facit 2.3. circiter Diapente: Veneri & Mercurio attribuit majorem harmoniam 1.4. quia,ut Cubus eſt figura prima primariarum,ita Octoedron eſt prima ſecundariarum: Atque ſic in cæteris; Hiſce addit multas regulas cum hac doctrina ficta vel potius in ſummo gradu analogica concurrentes: Quæ omnia hoc in loco recenſere longum nimis foret. Ex quibus ſapienti videre licet,quam longe abſint hæ inventiones Authoris à veris Philoſophiæ fundamentis, quæ ipſe tanto conamine,ordineque tam exacto Naturæ ſequi ſe pollicetur; de quibus perſpicujus *in ultima comparatione harmoniæ ad invicem.* Jam vero ad ejus intervallorum concinnorum inventionem properabimus.

TEXTUS XIII.

Ubi ego veteres expreſſe refuto de cauſis conſonantiarum differentes; ibi ipſe citra dubitationis aleam ſequitur: de cauſis verioribus ne cogitat quidem.

ANALYSIS.

HÆc eſt ergo controverſia inter eum & Veteres; An ſcilicet minora intervalla, utpote Tonus, Semitonium, Dieſis (quæ concinna vocat) ſint ſimplicia, ex quibus, tanquam ex cauſis, elementis, ſeu principijs conſona intervalla, ſeu conſonantiæ majores oriantur: Affirmant Veteres; at vero Johannes Kepplerus hoc negat, rationibuſque *cap. 4. lib. eius* 3. expreſſis hanc illorum aſſertionem refutare conatur. Et perveniendo ad hujus dubij ſolutionem, videtur iſtam proponere quæſtionem; *An videlicet ſit commune omnibus concinnis & conſonis minimum elementum; ut ſimplex, ex quo ſecundum aliquem numerum ſumpto, quodlibet ex conſonis & concinnis componatur?* Id quod prorſus admittere recuſat: Ratio unica ab ipſo prolata eſt hujuſmodi: Si ſpecierum omnium indiuidua, quæ magnitudine differunt, ex uno communi minimo conſtant, erit igitur una aliqua quantitas minima humanæ ſpeciei; cujuſmodi puſionum certo aliquo numero, veluti ex elementis, quilibet homo componatur, procerus ex multis, pumilus ex paucis. Non minus enim in harmonicis qualitas illa, Conſonantia, informat chordarum proportionem ſeu vocum intervallum quam forma hominis molem illam materiæ informat, quæ hominis cute ambitur. Similiter rationem citat comparativam ab exemplis quantitatum incommenſurabilium Geometriæ omnis generis, inter quas & intervalla incommenſurabilia facit relationem. Hinc igitur infert, quod conſona intervalla Natura priora ſint minoribus intervallis, quæ concinna appellat, & per conſequens arguit, quod illa non componantur ex iſtis tanquam ex elementis, aut ex minori aliqua quantitate, ſed contra hæc ex illis: dicitque, ſe non diviſionem rei quantitativam pro compoſitione hic accipere; ſed pro ortu naturali; videlicet quatenus membra hominis non fuerunt ante corpus, & corpus ex ijs collectum eſt, ut domus ex lapidibus; quali modo accepta compoſitione negat intervalla conſona vel ex alijs conſonis vel ex concinnis componi: arguitque ibi, quod, licet conſonorum intervallorum cauſæ ſint cognatæ, non tamen eandem cauſam habeant, ſed diverſam, quatenus quodlibet ſuam propriam habeat cauſam diſtinctam: Et concludit

poſtea,

poſtea, quod concinna intervalla ex intervallis conſonis oriantur; non conſona ex additione concinnorum. Hæc itaque eſt vis argumentorum ejus, quibus probare intendit, minima intervalla ex maximis ordine naturali profluere; & per conſequens ea minime ſimplicia, ſed potius à ſimplicibus orta docet. At ego veterum ſententijs arcte adhærens primum via Arithmetica; deinde rationibus à Geometriæ principijs depromptis; & tum poſtea ipſiſſimis rerum naturalium principijs hanc ipſius opinionem refellere haud dubitabo. Denique omnium meorum argumentorum vim ad Muſicam conſonantiæ examinationem convertam.

Imprimis igitur, vt ad Arithmeticam orationis filum ducam, videmus, quod ſecundum certum naturæ ordinem ejus unitas ſit omnium numerorum communis menſura fons & origo, continens in ſe omnem numerum utcunque magnum; & tamen multitudinis omnis expers, ſemper eadem & immutabilis: Unde hæc unitas in ſe multiplicata ſe ipſam tantum modo producit: Eſt enim ſibi radix, quadratum, & Cubus. Eſt ergo omnium principium & finis. Ex hujus unitatis progreſſione in primo loco producitur numerus binarius, ſic II. in ſecundo ternarius ſic III. Unde patet, quod numerus ſeptenarius (ex tot enim intervallis minoribus vel concinnioribus conflatur conſonantia Diapaſon, quæ eſt conſonantia perfectiſſima) ſic ſtabit, IIIIIII. adeoque conſtat inde; quod ejus origo, videlicet numeri ſeptenarij minimum elementum; à quo oritur, ſit unitas; & conſequenter, quod conſonantiarum minorum originis eadem ſit ratio; videlicet quæ ex 3. vel 4. intervallis conſtant: Non enim dicimus, ſequendo ordinem naturæ; quod I. procedat & oriatur à ſeptenario numero, tanquam principio, nec à ternario, nec denique à quaternario: hoc enim vanum eſt imaginari in progreſſione naturali ad generationem; hoc eſt, in progreſſu à priori ad poſteriora; Sed dici id poteſt in fluxu à compoſitione ad diſſolutionem totius compoſiti in partes ſuas originales, quarum unitas eſt fons; hoc eſt in retrogreſſione à poſteriori, hoc eſt, à puncto termini ad quem, ad Prius ſeu terminum à quo. Reſpondemus ergo ad priorem ejus rationem; quod unitas formalis phyſica cum ſuo ſimili materiali tanquam minimo ſit cauſa primaria individui humanæ ſpeciei, quæ pro magnitudine vel parvitate molis ſe auget in ſua progreſſione vel diminuit. Quod vero anima unius eſt magis activa, alterius magis obtuſa, hoc non fit ex parte formali; quæ ſemper eſt eadem; ſed ex aptiori vel ſegniori materiæ præparatione: Sic ignem eundem aliter agere obſervatur in madido medio, quam in ſicco, in corpore melancholico quam ſanguineo, in ferro quam ligno; & tamen ſemper eſt res eadem, ac in forma ſua non magis mutatur; quam ipſe lucis fons, à quo progreſſa eſt. Similiter contra ejus aſſertionem, ubi dicit, quod conſonorum intervallorum cauſæ ſint cognatæ, ſed non eædem, ex his patet, quod in conſideratione Arithmetica ſit minimum iſtud elementum unitas originalis, quæ eſt numerorum fons, & progreſſionis origo, à termino à quo procedens ad quem tam in unitatibus concretis, quæ ſunt partim materiales & partim formales, quam in abſtractis.

In Geometria etjam eadem eſt proportio progreſſionum; videlicet à puncto ad lineam, à linea ad triangulum & à triangulo ad cæteras figuras planas; à quibus tandem ad corpora pervenitur. Dicimus igitur, quod in Geometria progreſſio naturalis ſit à punctis ad lineas; quæ nihil ſunt aliud, quam punctorum fluxus ſeu continuatio: Ex quibus certum eſt, quod punctum ſit in Geometria, ut unitas in Arithmetica: quorum quidem progreſſione & multitudine fit linea ſeu chorda illa; cujus ſectione varia prodeunt intervalla ſpecie ab invicem variantia: Atque ut in lineæ compoſitione ipſa eo major eſſe cognoſcitur, quo longior punctorum fluxus fit à termino ſeu puncto ejus à quo; ſic etjam patet, quod conſona intervalla quo majora ſunt, eo profundius ſeſe in multitudinem immergant. At vero non adeo conſulte (ut mihi videtur) dictum eſt, puncta derivari à lineis: Nam hoc quidem foret principia ex ſuis principiatis extrahere; quod ſane contra naturæ ordinem fieret. Similiter, vt ad unitates Geometricas magis manifeſtas procedamus, videmus, quod partes trianguli conſtitutivæ ſint lineæ: quæ iterum lineæ in ſuas ſectiones ſeu radices diſtingui ſolent: Ut igitur illa figura trigonea eſt natura prior, hoc eſt, principium omnium reliquarum figurarum Geometricarum, hoc eſt, ex qua tanquam principio figura ſive tetragonea, ſive pentagonea, ſive hexagonea & cæteræ omnes oriuntur, ſic etiam omnes aliæ figuræ in eam iterum reſoluuntur. Hinc, ut puncto Deus omnium principium comparatur à Sapientibus, à quo omnia prodeunt, & in quem omnia redeunt; ſic Trinitati ſacroſanctæ trigonus: Nam punctus conſideratur per ſe & in ſe ſine dimenſione; at trigonus denotat ejus proprietates in mundi menſura. Tonum igitur lineæ ritiſſime comparare poſſumus: Ex lineis Trigonus prodit, qui eſt omnium figurarum Geometricarum origo: Nam, niſi Diateſſaron ex proportionibus duabus ſeu lineis longioribus & unica breviori à Tonis ſeu lineis proflueret, cum ejus parte majori vel minori ad Diapente pervenire impoſſibile eſſet; non minus quam ad Tetragonum ſine mediatione Trigoni. Unde liquet, quod Tonus, lineæ relatus, ſit principium manifeſtum intervallorum conſonorum, quorum major dimenſio eſt Diapaſon: poſt quam progreſſionem ad ſecundariam compoſitionis rationem pervenitur; quemadmodum principium occultum ſe habet ut punctus ad lineam, in cujus progreſſione à puncto primordiali verſus Semitonij longitudines Coma, & Dieſis, aliaque intervalla, inſenſibilia derivantur. His igitur conſideratis more Geometrico, patet, minora ſeu concinniora intervalla eſſe ſimplicia; ex quorum additione intervalla majora con-

ſona

ſona producuntur, & non verſa ratione, ut Joannes docuit. Sed jam ad profundiorem Cubi ejus ſpeculationem progrediemur. Cubus, inquit ille, *lib.5.cap.*1. eſt extimus & ampliſſimus, quia primigenius & rationem habens totius. Atque hæc videtur eſſe ratio inventionis ejus in concinnorum productione à conſonis: Et tamen optime ſcit, Cubum à Quadrato originaliter profluere; & quadratum à ſua radice, quæ eſt linea. Quis enim in Geometria verſatus unquam dubitavit, An corpus mathematicum à ſuperficiebus, ut iſtæ à lineis, motu atque ordine naturæ conſletur: A duobus enim, nempe luce & aqua, actione dupla 4. elementa ſunt producta; quorum iterum duplicatione Cubus ſeu compoſitum ex elementis in lucem prodijt. Unde rectiſſime applicuit Ariſtoteles Cubum elemento terræ, quod magis grave, ponderoſum, & compoſitum exiſtit. Concludimus igitur contra ejus aſſertionem; quod, quamvis conſona intervalla oriantur à Geometria, non ſequatur tamen, concinna emanare à conſonis. Et proinde patet, ipſum Authorem contra ſuum promiſſum naturali ordine non procedere ad omnia ſecundum leges naturæ emendanda, quo confuſio evitetur; quemadmodum ex ratione ſequenti luculentius apparebit: Aſſerimus enim, quod, licet Cubus dicatur ampliſſimus & primigeneus, diverſa tamen ratione id fiat ab hoc noſtro propoſito, uti infra declarabitur. Ex puro etjam Naturæ fonte elicimus, ratione inquiſitionis myſterij ſonorum & vocis, quod ſonus ſit multiplicatio quædam identitatis ſoni procedentis à termino à quo, ad quem, ita quidem, ut à termino impellentis ad metam, quo tendit vox, ſit utique progreſſio ab unitate ad multitudinem. Verbi gratia: In tonitru videmus formam ſtrepitum edentem eſſe vim igneam è nube tanquam à fonte animæ moventis exilientem, uti vox animalis procedit à tabernaculo animæ ſuæ; vel ut crepitus bombardæ ab orificio ejuſdem; ubi ignis eſt forma movens, pulvis bombardicus eſt materia vim recipiens mediumque violenter impellens, & ipſe ſpiritus aereus dilaceratus ac diviſus crepitum dat & ſonum: Aer enim reſiſtit igneæ virtuti propter ſuam humiditatem, & reſiſtentia patitur, ac paſſione ſua vocem edit. Sequitur ergo, quod in ſono ſit numeratio vocis à forma impellente ad terminum auditus: Quæ quidem numeratio ſeu motus non aliter ex atomorum aereorum concatenatione & fluxu fit in medio phyſico ſeu concreto, quam lineæ continuatio & commenſuratio fit à fluxu punctorum in medio mathematico ſeu concreto: At vero forma ipſius aeris eſt ſemper eadem & continua cum anima univerſali mundi; cujus pars nulla revera à ſuo toto dividi poteſt, licet propter diverſitatem ſubjecti, cui ineſt, dicatur quoad nos differre: Nam nullus quidem vel Solis ipſius radius unquam à ſuo corpore ſeparatur: Eſt enim anima totius unica, & eadem, ac omnino in ſe indiviſibilis. Atque hæc quidem eſt omnium ſapientum ſententia & opinio. At jam, quia hæc eſſentia formalis implet quamlibet aeris partem, ipſe aer, ſi à fortiter impellente percutiatur, reagere & reſiſtere ſolet, virtute ſuæ formæ occultæ; atque ita fiſſuram patitur per reſiſtentiam in una parte, & vis impellens paulatim reverberando ſonum edit; ut in Echo videre licet: Sic enim videmus, fiſtulam ex ſolo flatu vocem edere, & percuſſionem aeris ligneo baculo factam itidem dare ſonitum. Et quamvis anima ſeu forma aeris ſit indiviſibilis, attamen ſubſtantia aeris, quæ eſt aqua ſubtilis non aliter in partes minutiſſimas dividitur, quam aqua, quæ eſt aer groſſus, in guttas; per quas ſonus numeratur in aere haud ſecus quam linea per puncta. Hinc igitur fit, quod, ut minimum corpus minimum requirit formæ univerſalis uſum, ſic etjam exiguus impetus exiguum & brevem dat ſonum, quia videlicet exiguam aeris portionem urget; & ſic quoque vice verſa: Porro etjam, ubi major eſt reſiſtentia, vel ratione craſſitiei medij ſonum numerantis, vel etjam ratione craſſitiei & obtuſitatis ſubſtantiæ aerem impellentis, ibi gravior redditur vox: ſed ubi medium eſt tenujus & ſubſtantia impellens acutior, ibi vox fit magis acuta: Sic gladius facilius in aerem penetrat propter ejus aciem, quam baculus, qui obtuſus eſt, & per conſequens tam facile in aerem penetrare non poteſt, atque ob hanc cauſam graviorem & baſſiorem, reddit ſonum. Hinc fit, quod, ut baculus magnus in aeris percuſſione obtuſum & gravem edit ſtrepitum, ſic parvulæ virgæ acutiores faciunt ſonos, quia non ita reſiſtit medium cum ſua forma: Simili etjam ratione duæ virgæ ejuſdem magnitudinis, ſed longitudine inæquales, hoc idem præſtabunt ad invicem, quod magna & minima virga ad invicem comparatæ in aeris percuſſione: atque ratio eſt, quoniam virga groſſior & obtuſior eandem aeris proportionem pellit quam minima & ſubtilior; quippe quæ tantum habet aeris ad reſiſtendum propter longitudinem, quantum curta illa ob groſſitiem: Sic etjam chordam minutam ſed longam tam graviter ſonare videmus, quam chorda major, obtuſior, & craſſior minoris longitudinis, ut in Barbiti uſu quotidie obſervamus. His igitnr obſervatis ad naturalem conſonantiarum inveniendarum rationem accelerabimus. Prædictæ virgarum experientia facillimum erit divinare, quomodo malleoli Pythagoræ diverſi proportionaliter inter ſe ſonos ediderint, cum unius proportio in magnitudine ſeu pondere ad alium fuerit, ut 6. ad 12. ſeu 1. ad 2. alterius, ut 6. ad 8. tertiæ ut 6. ad 9. ubi proportiones dupla, ſeſquitertia, & ſeſquialtera reperiuntur, conſonantias Diapaſon, Diateſſaron, & Diapente conſtituentes. Ex quibus quidem liquet, quod, cum materia marculorum eſſet eadem, nempe ferrum, proportio differentiæ fuerit in magnitudine; quæ quidem hoc reſpectu idem erat cum pondere. Dicimus ergo quod minor malleus minorem fecerit fiſſuram in aere; unde aer compreſſus ad incudem reverberatione reſiliebat, & more eccho vocem acutiorem edebat, quoniam foramen ſeu dimenſio inſtrumenti aerem penetrantis erat

acu-

acutior cæteris: medius etjam marculus graviorem ſonum illo primo dedit, quoniam ampliorem
fiſſuram in aere fecit quam prior; maximus denique graviſſimum edidit ſonum quoniam aerem fe-
cit latius dehiſcere, majorique pavore eum diviſit. Porro etjam major marculus profundius aerem
penetrare ſolet ſua gravitate quam minor ob ponderoſiorem ſuam in aere actionem. Hæc quidem
in aeris perforatione proportio optime diſcernitur in tormento bellico; Nam quo latius eſt ejus ori-
ficium, eo baſſior eſt ejus ſonus & profundius in medium aereum penetrat; longiuſque auditur ſo-
nus. Quod etjam in aeris ſubſtantia ſit multiplicatio & reſiſtentia in editione vocis, hoc eſt, quod
numeratio fiat & diviſio in infinitis portiunculis, & quod itidem forma aeris continua ſit ac non di-
viſibilis, patet in tonitru, ubi ſubito, propter continuationem formæ igneæ viſibilis in nube cum illa
inviſibiliter ubique per aerem expanſa, lux fulguris percipitur ſine ulla materiæ reſiſtentia: at pro-
pter aeris numerationem, quæ tempus requirit, longe tardius pervenit crepitus ad aures. Ut igitur
in naturali ferri, ſeu marculorum compoſitione videmus partium ferri additionem, qua illi in unam
maſſam majorem reducuntur ad ſonos tales conſonantes perficiendos, ita quidem & conſonantes
partes minutiores requirunt ad ſuam perfectionem; Nam, ſi quod facit tale ita ſe habuerit propor-
tione naturali ſuæ compoſitionis, neceſſe erit ut itidem quoque illud tale ita ſe habeat: Nam qualis
eſt chordæ dimenſio, talis erit aeris ſonantis proportio in omnibus; qualis marculus, talis formæ ae-
reæ reſponſio ad vim impellentem; qualis virga, talis vox: Etenim forma univerſalis aeris ſe confor-
mat ad reſiſtentiam formæ inſtrumenti eam oppugnantis, atque ita, vi viribus reſiſtente ac oppu-
gnante, medium humidum earum vires; actionem nempe & reſiſtentiam ſeu reactionem patiens,
eas ore naturæ cuilibet proportioni ſeſe adaptante narrat & exerte indicat, haud ſecus ac homine
hominem alloquente, illoque in momento reſpondente, ad invicem illi, alter alterius voluntatem,
virtute medij reſonantis unanimiter percipiunt. Sed jam, ut ad conſonantiarum chordarum myſte-
rium accedamus, dicimus, quod earum in Muſica proportiones nō differant ab illis; quæ antea à no-
bis relatæ ſunt: Nam, licet marculus & tormentum faciat in aere fiſſuram non longam ſed latam, hoc
eſt, non ita linearem, ſed magis ſuperficialem; attamen, ut in Geometricis videmus, quod hujuſmodi
parallelogrammum non habeat plus areæ ſeu capacitatis, quam quadratum. :
ſic etjam chordæ longitudo non plus occupabit in dimenſione aeris, quam planum marculi, vel ro-
tundum bombardæ. Porro etjam hæc eſt ratio, quod inter duas chordas, quarum una eſt valde ſpiſ-
ſa, & altera tenuis ac minuta, chorda illa ſpiſſa propter latum ſuum in aere imperium tam graviter ſo-
nat, quam minuta illa chorda in triplam vel duplam longitudinem illius porrecta; quamvis ambæ i-
ſtæ chordæ in eadem menſura extendantur; Verbi gratia & quod fit
propter rationem ſupra dictam; quoniam videlicet; qualis eſt chorda, talis etjam eſt fiſſura in aere:
Unde lata fiſſura, & non ita longa exæquabit eam, quæ in eodem aere eſt magis tenuis ſed multo lon-
gior. His igitur perceptis in phyſica ſonorum conſideratione ad conſonantiarum quidem ortum
deſcendo. Ut in linea mathematica menſuram fieri diximus de puncto ad punctum à lineæ princi-
pio uſque ad ejus finem; ita quoque ſimilis eſt eademque ratio in linea phyſica, quæ aliter ſe habet
quam illa mathematica; cum iſta ſit imaginaria & in abſtracto, hæc realis & in concreto: Per crepi-
tum enim à tonitru facto declaravimus, quomodo numeratio realis motus fiat à loco à quo ad quem,
ſeu à nube ad terram, hoc eſt, unitatum realiū ſeu phyſicarum multiplicatio in aere à termino à quo,
priuſquam vox tranſeat ad aures auditoris: Formam vero ſonum deferentem diximus eſſe univerſa-
lem atque occultiſſimam illam maris mundani eſſentiam quæ per ſe nunquam dividitur, licet videa-
tur dividi ſecundum materiæ diviſionem, cui ineſt: Dicimus igitur, quod in quolibet ſono in aere fa-
cto triplex ſit motus, videlicet in longum, latum & profundum: Longitudinem vel latitudinem facit
inſtrumenti agitati proportio figuralis; profundum vero adaptatur vi formæ impellentis; quæ ſi ma-
jor & vehementior ſit, profundius penetrat; minor autem ſuperficialius. In quolibet horum mo-
tuum fit progreſſio ab unica Phyſica; quæ eſt terminus à quo: ſed plaga in longum & latum eſt cauſa
proportionis conſonantiarum; profunditas vero ejuſdem eſt cauſa vel longioris continuationis ſo-
nitus, vel ut ſonus magis ſonore & exerte reddatur. Cum igitur certum ſit, nullam eſſe lineam rea-
lem, in qua ſuperficies Geometrica non reperiatur, patet utique, quod omnis chorda materialis pa-
rallelogrammum vel majus vel minus in ſe habeat ſecundum majorem vel minorem ſuam denſitatē.
Unde manifeſtum eſt, quod, ut ſuperficies in Geometria ortum habet à lineis, & parallelogrammum
primum à triangulis, ac tum poſtea à lineis, ex quibus omne quadratum ordine mathematico gene-
ratur; ſic etjam omnes illi motus ad naturalem vocis productionem concurrentes, figuraſque phyſi-
cas ac lineas tales deſignantes principium ſumant à prioribus unitatibus, à quibus motus quilibet,
tanquam à terminis à quibus, effluxerunt. Cum igitur omnis intervallorum proportio menſuretur
motu, motuſque omnis menſuretur numero, numeruſq; omnis phyſicus ſit unitas realis; ut gutta pro
aquæ unitate habetur, aerque in atomis tanquam minimis ſuis quantitatibus diſtinguitur, ut linea
punctis: deinde & aqua ſuas lineas habet ex concatenatione guttarum, & aer ex progreſſiva congre-
gatione atomorum; ex quibus iterum ſuperficies ac corpora ex ijs compacta, hoc eſt, trina dimenſio
phyſica prodit: Sic igitur dicimus, quod in omni aeris percuſſione fiat motus; quia à minori
mul-

multitudine, & quaſi ab uno minimo elemento proceditur quouſque multiplicatione ad numerum ingentem facta ſit progreſſio. In illo ergo motu, à quo conſonantia profertur, ſit talis in aere motus menſura, qualis in chordæ ſubſtantia illum motum procreante: At vero chorda illa in naturali ſuo incremento à minori ad majus habuit progreſſionem in ventre animalis; atque ſic etjam canabim quotidie altius creſcere percipimus, adeoque omnis progreſſio in generatione fit à minori ad majus: Quid igitur dubitandum eſt, quin in conſonantijs, phyſica conſideratione exhibita, fiat potius à minori ad majus progreſſio, quam à majori ad minus. Dicimus igitur, quod in menſuratione Diapaſon, Diapente, & Diateſſaron motus in aere à termino à quo ad quem conſiderandus ſit, hoc eſt, ab initio Toni ad finem menſuræ quinque tonorum integrorum cum duobus Semitonijs ad complementum conſonantiæ Diapaſon: in quo motu fit tranſitus primum per omnia intervalla concinna, per Schiſma, Coma, Semitonium majus & minus, priuſquam ad Toni unius complementum pervenitur: atque ita aeris multiplicatione ad perfectæ conſonantiæ metam proceditur: in quo quidem motu licet aer dividatur, attamen forma in eo agens eſt ſemper eadem, proportionaliter ſe adaptans tam majori conſonantiæ, quam minori: Nam parata eſt ad agendum in proportione partis medij ſeu vehiculi ſui, quod ad patiendum urgetur. Porro etjam nonne videmus apud Phyſicos, res omnes ex ſuis principijs conflari, tanquam ex partibus, & non tanquam minora ex majoribus. Atqui dicit Joannes, quod cujuslibet conſonantiæ diverſa & diſtincta ſit cauſa interna: Quæ quidem ejus aſſertio indirecta eſt, cum eadem ſit forma agens in una proportione, quæ in alia, haud ſecus, quam in fiſtula idem flatoris ſpiritus varias conſonantias proferre ſolet. Nil quidem minus eſt veritati conſentaneum, quam quod conſonantia Diapaſon, propter perfectionem ſuam extremam ipſi Deo comparata, poſſit eſſe principium aut conſonantiarum imperfectarum aut intervallorum incompletorum, quæ adhuc ſunt magis imperfecta, incompletæ conſonantiæ conſideratione. Quis enim ſibi conſtans conabitur imperfecta ex pluſquam perfectione elicere? Aut enim conſonantia Diapaſon complete perfecta eſt, & tunc nihil imperfectionis in ſe habet, aut non complete perfecta eſt, & tunc male dicitur perfectio in majori gradu. Ex his igitur patet, quod, ut maturitas à cruditate procedit, ſic perfectio ab imperfectione: Nam hæc eſt continua naturæ actio, ut imperfecta ad perfectionis metam perducat: Etenim vera naturæ progreſſio eſt, rem obſcuram & crudis tenebris inquinatam reddere puram formalem, & lucidam inſtar ipſius Solis: Qui enim clariorem ex imperfecto elicere novit Solem, quam eſt hic Sol cœleſtis, ille veriſſimum Harmoniæ mundanæ Diapaſon quid ſit perfecte intelliget, ab imperfectione ad perfectionis metam oculis apertis reſpiciet, & progreſſionem numeralem ab unitate formali in materiæ multitudinem, ac ejuſdem iterum à multitudine ad unitatem redactionem inveniet, Sic enim factus eſt mundus, ab uno nempe in multitudinem, atque ita quoque transfiguratione mutabitur in ultimo *Pereat* ad unum: Talis itaque reuera Muſici nomen optime merebitur; taliſque in Aſtronomia divina omnium certiſſima perſpicuam obtinebit inſpectionem; ei quidem nec ſtellarum ſitus, nec earundem motus, pariterque nec tempeſtatum ratio, nec temporum ordo occultabitur, ſed, ſpiritu ſapientiæ duce, in via cognitionis certa & infallibili dirigetur.

TEXTUS XIV.

Ad alterum authoris locum tranſeamus, ubi Muſicam ille in mundum introducit. Hic vero immane, quantum inter nos diſcrimen eſt. Primum, quas ille harmonias docere intendit, eæ ſunt meri Symboliſmi, de quibus idem dico, quod de ſymboliſmis Ptolomæi, poeticos potius eſſe aut oratorios, quam Philoſophicos, aut mathematicos.

ANALYSIS.

NOn erit hoc mihi (ſpero) dedecori, cum ipſo Ptolomæo, viro tam clariſſimo, in errorem eundem incidiſſe; ſed potius in honorem convertetur, me aliquid ſimile cum Ptolomæo cogitaſſe. Ponatur, quod ſint meri ſymboliſmi Poetici; negamus tamen prorſus, nos à Philoſophorum limine ideo aberraſſe: Nam quantum quidem myſterij in Philoſophia ſymbola Orphei, Homeri, Heſiodi, Virgilij, Ovidij & aliorum ſimilium in ſe comprehendant, Authorem latere video. Sed, ut ad propriam ejus doctrinam accedamus, nonne fuerunt corpora ejus regularia, quæ ſui operis harmonici fundamenta ſtatuit, mera ſymbola, quæ ipſe Pythagoras Philoſophiæ veræ adaptavit, inde myſteria ingentia de elementorum mutationibus ab imperfectione ad perfectionem inferens; quæ tamen Author à veræ Philoſophiæ intentione ad fictiones ſuas Aſtronomicas diſtrahens ſymbola fecit vana & vere Poetica, aut deliria mathematica.

TEXTUS XV.

In primo ſuo tomo totum mundum diſtribuit in tres regiones; ubi ſecundum celebratiſſimum illud Hermetis axioma, ſupera ſimilia ſeu analoga facit inferis. Hæc verò analogia, ut per omnia ſuccedat, ſæpè crinibus trahenda ſunt, quæ utrinque comparantur.

ANALYSIS.

Imo vero hoc ipſum in Authorem retorquere poſſumus, qui, ut corpora quinq; regularia ad ſuum inſtitutum torqueat, *Proœm.lib.*1. intentionem Ariſtotelis & ipſius Pythagoræ crinibus quaſi trahit; & infinitas definitiones, axiomata, propoſitionesque congregat, ut vi & armis, pedibus manibusque nixus eorum ſymbola ad ſuas inventiones ſtatuminandas etjam contra Philoſophorum illorum intentiones accommodet. Quanta etjam violentia urgetur ab eo Natura, dum ejus terra deſubito ad aſtra elevatur, atque ita, grave, ut ſurſum tendat; cogitur, itidemque ut ex corpore opaco & immobili fiat ſtella clara interque ſphæram Martis & Mercurij moveré intelligatur; imo etjam ut animam habeat propriam, qua aeri & aquis imperet, tempeſtateſque cieat & æthera; ſimiliter ut Sol fixus reddatur & immobilis, atque tamen nihilominus ſit motus fons & mundi centrum, ita ut circa eum moveatur terra &c. Ad mea vero quod attinet, exitus probabit acta.

TEXTUS XVI.

Jam, ut propius accedamus ad fundamenta, quibus Robertus de Fluctibus ſuperſtruit ſuam muſicam Mundanam; primum ille totum mundum, omneſque tres eius partes Empyream, Cœleſtem, Elementarem occupat: ego ſolam cœleſtem; nec eam totam, ſed ſolos Planetarum motus quaſi ſub Zodiaco.

ANALYSIS.

Svam tamen partem cœleſtem, quam pro ſua Harmonia eligit, tam amplam facit, quam eſt mea cœleſtis & elementaris ſimul, cum terram numeret inter ſidera cœli. Unde ſequitur, quod pars mundi elementaris ſit ipſius cœli ingentis non niſi portio. Ad motum autem Planetarum, cui vim totius Harmoniæ commendat, quod attinet, agnoſcit quidem Harmoniam ſuam in cœlo; at vero illius Harmoniæ ad nos deſcenſum non vult reſpicere aut attendere. Cum igitur de motibus Planetarum egerit, cui agnoſcit, *text*.5. ſe de longitudine & brevitate ſonorum nihil admodum dixiſſe, dum tamen interim vidit, tempora motuum Planetarum eſſe diverſa, uti in *Analyſi textus* 5. dictum eſt. Ego vero de harmonia aſcendente & deſcendente, hoc eſt, de rerum exaltatione per harmoniam primo divinam, ac deinde mundanam ſermones meos inſtitui: Scio enim, me cœlum habere in terra, ipſe autem terram ſuam transfert & rapit in cœlum. Sic Poetæ finxerunt Herculem, Aſtræum, Plejades, Argum, & revera aureum vellus, Orionem, Hydram, Aquilonem, & hujuſmodi alia in cœlum eſſe rapta.

TEXTUS XVII.

Ille fiſus veteribus, qui vim harmoniarum ex numeris abſtractis eſſe credebant, ſat habet, ſi quas inter partes concordantiam eſſe demonſtrabit, eas numeris quomodocunque comprehendat, nulla cura, cuiuſmodi unitates illo numero accumulentur: ego nuſpiam doceo quærere harmonias, ubi res, inter quas ſunt harmoniæ, non poſſunt menſurari eadem quantitatis menſura; ſic ut cauſa quantitatis eadem ſit inter illas proportio, quæ inter duas chordas eiuſdem tenſionis, cauſa longitudinis.

ANALYSIS.

Hoc quidem in loco video, Authorem numeros Harmoniæ naturalis veros penitus ignorare: quod niſi ita eſſet, in hujuſmodi verba ſcio ipſum nunquam fuiſſe erupturum: Etenim Pythagoræ trigonum ab ipſo *lib*.3. *fol*. 4. deſcriptum, non figuris plane mercatorijs, ſed mere formalibus

depictum inveniet,(ſi recte rem conſiderare velit) quæ ab abſtractis longe diſtant; Abſtractos ipſe numeros in ſua harmonia fugere conatur; Et tamen præter abſtracta nihil ſincere in numeris tractare videtur, cum non minus abſtracti ſint numeri Mathematici ex lineis, ſuperficiebus, & corporibus, ſeu radicibus, quadratis, & cubis, quam qui in Arithmetica Algorithmica vulgari reperiuntur. Philoſophi ſapientiores, nempe Themiſtius, Boetius, Averroes, Pythagoras, Plato ſic numeros extollũt, ut neminem abſque illis poſſe recte philoſophari putent. Sed quid nobiliſſimus ille numerus, de quo ipſi locuti ſunt, ſibi velit, ejuſque in membra reſperſio, non novit Arithmeticus, qui artem numerandi mercatoriam callet, aut in Muſica vel Geometria vulgari duntaxat verſatus, ſuperficie tenus res aſpicit, ſed qui proportiones formales inquirit, videlicet gradus progreſſionis formæ in natura ab imperfectione ad ſummam perfectionem. Quare non ſunt illi exaudiendi, ſeu intelligendi de numero vulgari ſeu materiali & ſenſibili, ſed de formali, vere igneo, & rationi familiariſſimo: De cæteris enim numeris Pythagoricis Academici & ipſe Auguſtinus nihil curaverunt: Hanc numeri ſpeciem ipſi Naturalem, formalem & rationalem vocaverunt, ex quo magna miracula tam in divinis quam naturalibus peracta ſunt. Ex hujuſmodi numeris tempus quidem conſtat, omniſque motus, & actio, quæ ad tempus adaptantur; quibus etjam omnia referuntur, quæ tempori & motui ſubjecta ſunt. Per hos numeros vere aureos & formales concentus & voces in Muſica proportionem habent & conſtant. Denique omnes ſpecies naturalium, & eorum, quæ ſupra naturam ſunt, numeris certis formalibus conſtringuntur. Horum numerorum occultorum myſterium optime cognoverunt illi ſcientiæ conſultiſſimi, qui Monadem ſeu unitatem opificij Deo, Diadem ſeu dualitatẽ Materiæ aqueæ, ac tum poſtea Triadem Formæ ſeu luci & animæ univerſali attribuerunt, quẽ virginem vocaverunt. Hi autem ſunt numeri illi tres ignei & formales, qui primum à proprietatibus ſacroſanctæ Trinitatis effluxerunt ad mundi fabricam: Materia enim aquea Spiritus divini glutine cum forma lucida conjungitur & vocatur Cœlum. Tunc homini ejuſque vitæ Hexadem & Heptadem; denique Ennadem omnibus creaturis. Hinc quidem numerus denarius, omnes non modo mundi conſonantias ſed etjam ejuſdem diſſonantias includens, decem Sephirothis Sapientum attribuitur, quibus decem Dei cognomina decem ejus proprietates in mundo (tam in clementia conſonantes, quam in ſeveritate diſſonantes) exprimentia præſidere dixerunt: Nam talis eſt numerorum formalium progreſſio, ultra quos nullus alius unquam fuit, eſt, vel erit 1.2.3.4. Ubi 1. 2. ſimul additis fiunt 3. quibus ſi addantur 4. fiunt 7. Atque hic eſt numerus ille mirabilis, in quo mundi creatio eſt completa; quippe in quo quadratũ materiale ſeu elementare radici formali unitur, & appetitus materiæ mundanæ ita adimpletur, ut quieſcat illa, quatenus bono impleta ſummo. Hinc ſeu in hoc reſpectu numerus iſte Sabbatho ſeu quieti datur; eſtque aliquando numerus punitionis, quando proprietas Elohim in numero ternario conſideratam iracundiam vertitur; & ſic diſſonus eſt: *Qui occidit Cain ſepties vindicabitur*, *Gen.* 4. Similiter & myſteria alia ſub eo continentur: Nam *iuſtus cadit ſepties*, *Proverb.* 24. *Poſt dies adhuc 7. ego pluviam mittam ſuper terram Gen.* 7. 4. *Quieverat arca ſeptimo menſe Gen.* 8. *Expectavit Noa 7. dies poſt reditum columbæ*; *Sapientia ædificavit domum ſuam ſeptem columnis. Proverb.* 9. 1. *Oleo unctionis aſperſit Moyſes altare 7. vicibus*, *Levit.* 8. 11. *Septies iuſſit Eliſha lavare Naaman*, *ut curaretur de lepra* 2. *Reg.* 5. 10. *Recluditur Maria ſeptem diebus lepra affecta Levit.* 14. Et infinita alia myſteria recenſuerunt ſcripturæ ſacræ. Hæc autem numeri ſeptenarij appellatio non more vulgari, ſed myſtico & formali intelligitur: Nam, ut *litera interficit, ſpiritus autem vivificat*, ſic etjam eadem eſt differentia inter vulgarem & ſpiritualem numerum. Sed procedamus cum propoſito noſtro. 1. 2. 3. faciunt 6. quibus ſi addatur 4. qui eſt unitas, fit 7. vel additione numeri quaternarij in pleno ejus valore ad 6. producetur 10. *Ultra quem*, teſte Ariſtotele, *nulla eſt progreſſio*: Nam omnes numeri, qui ſequuntur, ſunt meræ ex his compoſitiones. In his igitur numeris formalib. omnia comprehenduntur: Et proinde, quicunq; noverit numeros vocales & naturales cum divinis conjungere, & in eandẽ conſonantiam temperare, hic per numerum iſtiuſmodi poterit operari mirabilia, atq; eadem etiã cognoſcere, quemadmodum in Magia naturali peritiſſimi aſſeveranter ſcripſerunt: Namq; hi ſunt numeri veri, in quib. jacet totius Harmoniæ eſſentiæ ſecretũ; ſine quorum cognitione impoſſibile eſt de Muſica, ſive mundana, ſive artificiali rite judicare. Et certe, licet me tanti myſterij cognitione haud dignum eſſe agnoſcam, attamen hujuſmodi numerorum proportionẽ in meis operibus adaptare vehementer laboravi: De quib. equidẽ, copioſius me in *tractatu Microcoſmico in libello de numeris divinis* egiſſe percipiẽt curioſi Lectores: ſed nolim, ut me ibi loci ad numeros vulgares, quin potius ad proportiones myſterij Naturæ, orationis meæ filũ convertiſſe credatis. Dicimus igitur Authori, quod male intentionẽ noſtram percipiat, conijciendo, me vim Harmoniarũ mearum ex numeris abſtractis accepiſſe: Sed quidẽ video, ipſum tam elatũ eſſe in opinione ſua, ut remiſſiora à nobis tractata aut in contẽptu habeat, aut ſaltẽ minime capere, vel in eorũ penetralia oculis mathematicis inſpicere queat. Dico igitur, quod major fuerit mihi cura in unitatum formalium accumulatione ad Harmoniæ mundanæ veritatem explicandam atque enucleandam, quam ei quidem eſſe potuerit, qui in rei litera tantum verſatur, nihilque ſpiritus formalis ſapere videtur: Nam quomodo poſſibile eſt, ut ipſe de Muſica mundana judicare poſſit, qui ejus eſſentiam penitus ignorat. Sed ad excellentiam ejus in Muſica, quam mundo ita ebuccinare videtur, redeamus. Harmonias ipſe non admittit, ubi res, inter quas ſunt harmoniæ, non poſſunt menſurari eadem quantitatis menſura, ita ut cauſa quan-

titatis

titatis ſit eadem inter illas proportio; quæ inter duas chordas ejuſdem tenſionis cauſa longitudinis. Hujuſmodi quidem proportionem produxit *cap. 4. lib. 3.* Ex chordis æqualiter tenſis, illarum ſonitus ſunt graviores, quæ longiores, illarum acutiores, quæ breviores: Ubi nullam videtur admittere Muſicam proportionalem, niſi ubi ſit chordarum ejuſdem menſuræ ſeu latitudinis differentia in longitudine. Hoc autem falſum eſſe communis docet experientia; quoniam duæ chordæ æqualis tenſionis ejuſdemque longitudinis, ſed differentis ſeu diverſæ groſſitiei vel magnitudinis conſonantias varias in gravibus & acutis reddere ſolent; de quibus latius *in Analyſi textus* 13. Quare hic differentia in longitudine non eſt cauſa, ſed in magnitudine: Unde ego etjam aſſignavi ſonos baſſiores & graviores denſiori ac ſpiſſiori mundi materiæ, acutiores vero tenujori mundi ſpiritui: quorum demonſtrandorum gratia pyramidis effigiem non inepte delineavimus.

TEXTUS XVIII.

Propterea ille totum mundum ratione ſemidiametri in tres æquales partes divi-dit, ſat cognitum habens, æquales illas minime eſſe: ſed ideo ſolum, quia prima unitas eſt mundus Elementaris, ſecunda mundus æthereus, tertia Empyreus: & vero unitates pingi aliter non poſſunt, quam æqualitate linearum: at ego, niſi teſtetur aſtronomia de eadem unitatum menſura quantitativa, nequaquam ijs, ut unitatibus utor ad numerandas proportiones harmonicas.

ANALYSIS.

HIc Joannes Kepplerus me acriter reprehendere videtur, quoniam diametrum machinæ mundanæ in partes tres diſtribui æquales ad Harmoniæ meæ Macrocoſmicæ inventionem: *Nam*, inquit, *primam unitatem facit mundum Elementarem, ſecundam Mundum æthereum; & tertiam Empyreum*; Quod quidem ideo erroneum concludit, quoniam unitates aliter pingi non poſſunt, quam æqualitate linearum. Huic ejus objectioni facillimum eſt reſpondere: Nam, ſi cœlum æthereum pro maſculo, elementaris autem regio pro fœmina habeatur, cujus matrix ſit terra, neceſſe eſt, ut eadem & exactiſſima ſit proportio inter cœlum æthereum & illud inferius; quoniam paſſio in fœmina debet gradu exactiſſimo reſpondere actioni in maſculo, per infallibile illud Platonis axioma; *Secundum meritum materiæ datur forma*: Nulla vero eſt generatio, niſi in convenientibus in natura: At vero cœlum agit in inferiora formamque dat; inferiora autem æquali reſpectu patiuntur, formaſque cœli recipiunt, quibus informentur. Sed, ut propius ad rem accedamus, ideo negat, unitates meas eſſe æquales, quoniam pingi aut menſurari non poſſunt linearum æqualitate. Hic equidem Author ſuam in vera unitatum naturalium cognitione prodidit inſcitiam, eo quod neſcire videtur naturæ pondera, ſine quibus neque ad Harmoniæ ſecretum, neque ad motuum cœleſtium myſteria perveniri poteſt: Hermes enim dicit (& quidem rectiſſime;) *Quod eſt ſuperius, eſt ſicut illud, quod eſt inferius, & vice verſa*; hoc eſt, unitas ſpiſſa eſt eadem, quæ unitas ſubtilis, & unitas ſubtilis eadem, quæ ſpiſſa; hoc eſt, ſpiritualis unitas tenuis idem eſt, quod unitas mediocriter craſſa, atque hæc idem eſt, quod unitas terreſtris omnium denſiſſima: Quæ quidem unitates nihilominus communi & æquali linea mathematica non menſurantur, niſi ſit talis menſura demonſtrationis cauſa. Verbi gratia: Si duo nobis eſſent terræ pugilli, quorum unus in ſua natura ſpiſſa & terreſtri conſervandus eſſet, alter ſubtiliatione reducendus in aquam, utique unus ille pugillus terræ in ſua natura relictus, erit æqualis unico alteri in aquam redacto, ratione ponderis, in quo vere conſiſtunt proportiones ſapientum: Et quamvis unicus iſte pugillus redigatur ſubtiliatione in 10. pugillos aquæ, & per conſequens ampliorem requirat locum, quam antea habuit; attamen ejus proportio in pondere eſt eadem, quatenus arte poteſt reduci in terram eandem, qualis antea erat. Similiter aqua illa redacta in aerem requiret decies tantum loci, & ſpatij pro ſuo receptaculo, quantum habuit ante; & tamen proportione formali non differt ab uno pugillo groſſo; & ſic in cæteris. Unde concludendum eſt contra illam Authoris objectionem, quod unitates ejuſdem corpulentiæ & elementi linearum mathematicarum æqualitatem requirant in ſua dimenſione; at vero eædem unitates in corpulentia diverſæ, & mutatis in craſſitie ac tenuitate ſubſtantijs, ita videlicet, ut una earum maneat craſſa, altera vero ſubtilietur, non linearum mathematicarum identitate menſurantur ſed ponderibus: Atque hoc partim eſt illud, quod Hermes ſermone ſuo ænigmatico intelligit, quando dicit, *ſuperius ſe habere, ut inferius & è converſo*: hoc eſt, unum ſubtile eſt idem, quod unum groſſum, vel cœlum idem, quod terra, & ſpirituale idem, quod corporale, & tenue cœlum idem, quod cœlum groſſum; hoc eſt, menſura formali, quæ fit proportionibus ponderum myſticorum, & non menſuræ vulgaris ſive numeralis, linearis, ſuperficialis aut corporalis identitate numeranda, utpote quæ menſuræ à Sapientum intentionibus multum aberrare cognoſcuntur. Horum igitur menſuræ exactiſſimæ, quibus eorum Harmoniæ, myſteria naturæ, & mundi motus eliciun-

tur, ſunt illæ, quæ pondera nuncupantur Sapientum; quibus ſolis, & non alijs datum eſt, naturæ facere mutationes ab uno elemento in aliud manente identitate; quippe quibus ex uno terræ pugillo & novem aeris fiunt decem pugilli aquæ, & de uno pugillo aquæ, ac novem ignis fiunt decem pugilli aeris, aſcendendo per ſcalam vivificationis naturæ groſſæ in ſimplicem ac altam: Nam ſic ſolebat natura producere ſolos cœlos è re groſſa & terreſtri per exaltationem identitatis elementorum in naturam cœlorum: Tunc ex uno pugillo ignis & novem aquæ fiunt decem aeris mortui, qui eſt aqua viva, & ex novem quidem elementi terræ fiunt decem aquæ glorificatæ. Sed hæ ponderum proportiones intelligendæ ſunt cum ſapientia; quoniam hæc eſt illa ſola doctrina, ſine qua nulla menſura, proportio, aut temperamentum acquiri poteſt: Eſt enim hæc proportio catena illa aurea, & rota circulorum totius ſeculi, per quam Natura ipſa gubernatur in inſtrumentorum ſuorum omnium rotatione & circumvolutione. Sine hoc igitur ſapientiæ dono nemo ſcientiæ Aſtronomicæ peritus de ſiderum ſitu & motibus recte judicare poteſt; nemo mundi conſtitutionem, aut vim elementorum, aut principium, medium, & finem temporum, ſolſtitiorum mutationes & varietates temporum, anni circuitum, naturas animantium, iras ferarum, ventorum ac ſpirituum vires, tempeſtatum rationem, ipſas hominum cogitationes, differentias plantarum, & radicum facultates, aut quæcunque occulta vel manifeſta ſunt; cognoſcere, juxta illud *Sapient.7.a.21.* Hæc ſunt eximia illa ſapientiæ dona, ſine quibus nemo in ſcientiam aliquam ex illis 7. liberalibus uniuerſæ cognitionis fundamentis recte penetrare poteſt; ſed homines opinione ducti in infinitos incidunt errores: Atque hinc dictum eſt, quod *ſapientia domum ſuam ædificaverit excisis columnis ſuis ſeptem Proverb, 9.1.* & quod *erudito ejus pecunijs & auro effoſſo electiſſimo ſit præferenda:* Unde inquit ſapiens; *Melior eſt ſapientia Carbunculis, & omnia delectamenta non poſſunt æquari ei. Proverb.*8.11. Sole equidem Keppleri, quem motus fontem fecit, ſpecioſior eſt hæc ſapientia, & ſupra omnem diſpoſitionem ſtellarum invenitur prior. Nec mirum, cum ſit *emanatio claritatis Omnipotentis Dei ſincera.*Sap.7. Ad hujus igitur inquiſitionem tendunt meæ unitates, ut ad ſummum iſtius unitatis culmen pertingam: Sic enim dicunt ſapientes, *omnia eſſe unum & idem in Deo & per Deum; qui eſt ſola veritas, à qua omnia per multiplicationem & diſperſionem in multitudinem prodeunt, & in quem itidem omnia, per exaltationem ac reſolutionem in ſimplicitatem, redeunt.* Licet igitur philoſophia mea videatur vulgaris, attamen ſub ejus umbra meliora inquiſitione recta apparebunt. Utcunque; ad Authoris objectiones ſic reſpondeo, quod unitates meæ non lineis dimenſione ijſdem ſeu æqualibus commenſurandæ ſint: ſed ideo ijs ſum uſus, ut in pyramidis morem, materiæ ſubtiliationis formulam exactius deſcriberem: At ſi cujuslibet elementorum & cœlorum ſphæræ dimenſionem ſecundum lineares ejus proportiones (ſi quidem id eſſet poſſibile) explicarem, nulla quidem charta figuras meas capere potuiſſet. Dicimus igitur, quod, ſi cœlum elementare ſubtiliaretur in naturam ætheream, tunc illud unum impleret locum immenſum cœli ætherei: Nec tamen ſequitur, quod, quia locum tam amplum non occupat, ideo non ſit unum proportione naturali, quæ in pondere conſiſtit, quamvis lineari dimenſione differat. Et nos quidem experientia edocti cognoſcimus, terram in cœlum reduci poſſe, & tamen natura proportionis ſuæ ſubſtantiæ eandem manere, quæ fuit ante; uti pauper ad qualitatem Epiſcopi exaltus, idem tamen eſſe ſolet, & aqua paruula per deſtillationem in vaporem grandem redacta in priorem ſuam naturam quantitativam iterum condenſatione revertitur, ita videlicet, ut, licet in fumo maximum occupet ſpatium, in aqua autem exiguum, unitas tamen ejus una in fumo non differat ab unitate ejus in aqua, niſi ſolo ſpatio. Sed quid verbis pluribus hac in cauſa utar? Nimirum hoc omne, imo vero etjam ipſa reſponſio ad hanc ejus objectionem optime à me explicatur *cap.16.lib.2.Tract.1.de Macrocoſmi fabrica, Experimento* 3. quippe ubi unitatum noſtrarum rationem, earumque in ſubtilitate & craſſitie differentiam ad amuſſim deſcripſimus. Quod quidem caput ſi legiſſet Author, non ita temere forſitan de meis unitatibus judicaſſet. Ex hiſce igitur concludimus, quod Author potius propriam hoc in contextu prodat ignorantiam, quam ut aliquam mihi hac in cauſa culpam juſte imputare poſſit: Nam, quod aſſeverare videtur, unitates pingi aut deſcribi non poſſe abſque linearum æqualitate, inde patet, ipſum res inquirere magis mathematice & quantitative, quam vere phyſice, aut ſecundum rerum naturalium eſſentiam, hoc eſt ſecundum menſuram lucis in materia ſpirituali ſeu ſulphuris in ſuo Mercurio. Teſtetur igitur ejus Aſtronomia imaginaria de eadem unitatum menſura quantitativa; ego quidem meo more phyſico contentus, menſuris meis naturalibus, ponderibus eſſentialibus inſtructis, adhærebo.

TEXTUS XIX.

Ille tamen ſuis inſiſtens principijs, pyramidemque educens ex baſi, circulo magno Telluris, eius verticem ad ipſum apicem cœli ſtatuit, & altitudine eius in tria æqualia (perinde ac ſi unitates veriſſime æquales habuiſſet) diviſa, numerat, quot partes veniant Empyreo, quot Cœleſti, quot Elementari. Nam ſummum Elementaris regionis hoc pacto duplo longius abeſt à ſummo Cœleſtis, quam à ſummo Empyrei: Et in divi-

diviſione pyramidis, reſpectu quidem axis, tribus regionibus tria veniunt æqualia, reſpectu vero trianguli per axem, Empyreo venit unitas; Cæleſti tres, Empyreo quinque unitates: reſpectu denique ſpatij ſeu corpulentiæ figuræ; Empyreo unitas; cæleſti ſeptem, Elementari novendecim unitates veniunt. Quid nunc dicam de altera contraria Pyramide lucis, cuius baſin facit ipſam adorandam Trinitatem in ſummo Empyrei cœli apice, verticem vero in ipſa terra collocat.

ANALYSIS.

IN hoc contextu, more Prothei inconſtantiſſimi, videtur in ſuis dictis variare; quippe qui modo de æqualitate diviſionis partium pyramidis agit, modo longitudinem inquirit, & tum demum dimenſionem trinam mathematica ſua induſtria examinat; & in his omnibus aberrat à mea intentione: De unitatum noſtrarum ratione in *Analyſi textus ſequentis* ſapienti loquemur abunde, ubi multa de hoc ſubjecto paucis. Tum dicit, me numeraſſe, quot partes veniant Empyreo, quot cœleſti, quot elementari; Atque in hoc etjam fallitur circa meam intentionem: Nam demonſtratio mea non eſt, ut de partium cœlorum magnitudine agam, ſed de attenuationis materiæ ſpiritualizatæ proportione, dicendo, quod, quo magis materia mundi ſurſum tendit, eo ſemper ſubtilior, & in ſua natura purior, ac ſpiritualior redditur. Quare proportiones meæ pyramidales non id intendebant, ut oſtenderem, minorem materiam eſſe in uno cœlo quam in alio; (namq; affirmavi, eaſdem eſſe pondere unitates in cœlo elementari, quę in cœleſti, & in cœleſti, quæ in Empyreo) ſed ut per diſpoſitionẽ portionum pyramidis, proportionem ſubtiliationis materiæ & puritatis in aſcendendo indicarem, verbi gratia gradus proportionum in motu ab imperfectione ad perfectionem. Ille tranſit ad examinationem axis pyramidis; quod quidem examen, licet ad pyramidem mathematicam pertineat, huc tamen parum refert, non minus quam inquiſitio pyramidis ſolidæ cum numeris: Quis enim ex incipientibus ſeu tyronibus in Geometria, pyramidis ſolidæ partium proportionem numeralem ad invicem ignorat? Sed in lucem demonſtrandi gratia produxi figuram Geometricam, ut inde naturæ phyſicæ progreſſum in materia mundana facilius mundo commonſtrarem; non ſane ideo, ut protinus è phyſica mea intentione ad mathematicam pyramidis numerationem tranſiret Lector; nec enim eo animo introduxi pyramidem Geometricam in meis demonſtrationibus, ut aut ejus materiæ identitatem conſiderares, aut ſoliditatis partes ad invicem comparares, aut longitudinem metireris; ſed ut figuram ejuſque proportionem in deſcendendo & aſcendendo, in movendo ab imperfectione ad perfectionis metam obſervares; Nam hoc modo per cæli gradus perfectionis proportiones intelligimus, per elementorum ſtationes ab invicem diſtantes imperfectionis ſcalam priuſquam ad perfectionis limites pervenitur. Et quoniam ad ocularem aſpectum pyramis mathematica omneſque ejus partes ſunt ejuſdem materiæ, hoc eſt, una ejus pars homogenea eſt cum alia, ideo eã ad meliorem ſubjecti explicationem in partes æquales diviſi; quamvis illud parum referat ad propoſitum meum, quod erat, motum phyſicum materiæ phyſicæ explicare à groſſo ad ſubtile. Quare qualis ſit mea intentio per veram pyramidem phyſicam, provt exiſtit in rerum natura, expreſſimus *cap. 17. lib. 5. Phyſicæ Macrocoſmi hiſtoriæ.* Et quoniam percepi, quod difficultas intentionis meæ malam fortaſſe de meis laboribus opinionem propter minus expeditam veritatis, mentiſve, ac ſenſus mei explanationem mundo afferre potuiſſet, ideo in *libro ultimo hiſtoriæ technicæ Microcoſmi* mei librum integrum de pyramidum phyſicarum tam formalis quàm materialis explicatione feci; ubi meam de pyramide naturali intentionem plene enucleavi & expoſui. Dicimus igitur quod pyramidalis noſtra contemplatio magis ſit formalis, quam ut ſub conſideratione mathematica comprehendi poſſit, quoniam denotat progreſſionem occultam formæ in materia ad depurationem, ſubtiliationem, & conductionem ipſius ad maturitatem & perfectionem ab imperfectione, & à craſſo ac denſo ad tenue: Atque in hoc quidem jacet omnis myſtica harmoniæ proportionum, & menſurarum Sapientum intentio; neç enim diſtat à progreſſione naturæ in hoc mundo: Baſin autem illam pyramidis formalis facio ſedem Dei, quoniam ibi totius materiæ perfectio conſummata eſt, & ipſa materia ad unitatem divinam à multitudine mundana redacta. Talis erit mundi conſummatio vel potius transfiguratio, taleque fuit ejus initium. Videre igitur licet, quod, ut pyramis materialis, quo magis ſurſum tendit, eo eſt in ſua forma potentior (ſicuti ex figuris meis elicere fas eſt) ſic etjam ipſe mundus & omnia in mundo eo magis forma exuberant, quo magis ad puritatem & ſubtilitatem ab impuritate & groſſitie moventur; atque ita ſemper aſcendunt non quidem menſuris mathematicis ab imo ſurſum, hoc eſt, à loco ad locum, ſed ab imperfectione ad perfectionem, ab impuro ad puritatem, à gradu humili ad ſtatum exaltatum, à cruditate ad completam maturitatem, à tenebris ad lucem, à terra ad cœlum, à malo ad bonum, à Diabolo denique ad Deum. Sic exaltatur Epiſcopus loco non mutato; Et ſic qui-

dem ſe habet mundus & omnia in eo, priuſquam ad pluſquam perfectionem promoventur, in quo Deus tanquam pluſquam perfectum imperat & inhabitat.

TEXTUS XX.

Has duas pyramides cum inter ſe permiſceat, exque mixtura proportiones muſicas eliciat, rem tentat à mei operis propoſito diverſiſſimam. Nam ipſe lucem (formæ & animæ largitricem) & materiam, duo inter ſe diverſiſſima comparat, & quibus quantitates nequaquam eodem reſpectu inſunt: ego vero pro terminis formandæ proportionis Harmonicæ in mundo non admitto niſi illa, quæ eodem reſpectu quantitates recipiunt; verbi cauſa, motum Martis & motum Jovis diurnos.

ANALYSIS.

AD meas conſonantias quod attinet, eas ideo falſas, & à ſuo propoſito diverſiſſimas exiſtimat, quoniam oriuntur ex permiſtione lucis cum materia, quæ dicit eſſe diverſiſſima; & per conſequens infert, quod quantitates materiæ & formæ mundanæ nequaquam eodem reſpectu inſint. Quæ quidem ejus aſſertio majorem adhuc indicat illius in rerum naturalium profunditatis ſcientia ignorantiam, quam ea, quæ præceſſerunt: Nam primum hoc certum eſt, & ab omnibus Philoſophis comprobatum, quod materiæ appetitus ſit informari à luce, uti ille lucis ſeu formæ lucidæ eſt ipſam materiam informare: Cum igitur materia mundana peracta fuit, ſine dubio illud ab informatione lucida fuit factum. Unde ſequitur, quod materia in actu (quæ & ſecundaria dicitur ab Ariſtotele, & Aqua à Moyſe) ut exiſtat, formæ portionem retineat ſufficientem, qua vivat & talis permaneat, qualis eſt. Porro etjam dictum eſt ex ſententia Platonis, quod ſecundum meritum materiæ dentur formæ; nec quidem eſt generatio, niſi ex convenientibus tam in natura formæ quam materiæ. Hinc patet, quod vilis materia vilem poſſideat formam, exaltata vero exaltatam. Dicimus etjam quod materia naturaliter patiatur, uti & forma agit: Fit quoque, teſte Sapiente, eadem conjunctio inter materiam & formam, quæ inter animal fœmineum & maſculinum. Porro etjam dicimus, quod materia elementi ignis dignior ſit illa aeris, quia majorem formæ portionem retinet; quippe cujus ſubſtantia materialis magis erat diſpoſita ad recipiendam formæ multitudinem, quam illa aeris, & iterum ſub eadem proportione materia aeris quam aquæ, atque illa tandem magis, quam materia terræ; ſimiliterque cœlum, quam ſubſtantia ignis. Ex quibus evidens eſt, quod materia in omnibus ſecundum dignitatem ſuam ſe adaptet ad ſuam formam, uti ipſa forma ad meritum materiæ ſeſe habet: Nec enim quicquam eſt in materia diverſitatis, niſi propter majorem vel minorem formæ in ea proportionem: Etenim dignitatem materia recipit à forma, uti & ipſa dominium à materia, cui præeſt. Ex quibus evidenter liquet, quod proportio naturalis quam exactiſſima ſit inter formam & materiam: Qui tamen conſenſus quantitates eaſdem non admittit, quatenus forma communi Geometriæ menſura non menſuratur, ſed ideali; quoniam forma (utpore quæ inviſibilis eſt, licet viſibiliter agat) lineis Geometricis depingi non poteſt, niſi per analogicam repræſentationem: Et tamen certiſſima eſt ejus menſura, quoniam, qualis eſt materiæ phyſicæ dimenſio & figura pyramidalis, talis etjam eſt figura formalis, videlicet pyramidalis, atque etjam ejuſdem dimenſionis; nam actionis formalis effectus, ſenſibilis redditur per alterationes ſuæ materiæ viſibilis; quippe quod facit tale, eſt magis tale: At forma dedit materiæ talem figuram propter proportionalem ſuam in ea præſentiam; Ergo & ipſa forma idealiter exiſtens in pyramide materiali ei æquiparatur tam in figura quam in dimenſione: Sic enim dicimus animam eſſe in toto & qualibet parte corporis animalis; Unde corporis animalis dimenſionem efformavit ad ſuam proportionem occultam: Atque ſic etjam ſe habet anima ſeu forma exiſtens in pyramide materiali, quæ menſuram Geometricam ſeu quantitativam admittere poteſt. Nonne hoc idem videtur Author ipſe *libr. 3. fol.* 4. agnoſcere in pyramidis numeralis deſcriptione, ubi animæ ſeu formæ unum trianguli latus, videlicet numerorum imparium tribuere videtur, alterumque ei æquale, ex paribus conflatum, materiæ; ita ut faciat materiæ latus in triangulo pyramidali æqualis quantitatis cum illo formali. Pythagoras etjam & Plato Monadem Deo opifici tradidit, Diadem materiæ ſeu dualitati, & Triadem formæ. Et quidem in his numeris proportionalibus mere formalibus totum Harmoniæ mundanæ myſterium deliteſcere cognoverunt Sapientes antiquiores. Ex his etjam ſat liquido conſtat, quod materia aquea & forma lucida non ſint diverſiſſima, ut ipſe ea fecit, ſed quod conveniant per quam optime in actione & paſſione, haud ſecus, quam vir & mulier, quorum coitu fit naturalis generatio. Atque hæc quidem eſt vis harmoniæ Mundanæ, videlicet, ut harmonicas conſonantias ſeu proportiones actionum & paſſionum inter materiam & formam in qualibet mundi regione producat.

Dehinc progreditur ad ſuarum harmoniarum diſpoſitionem, quas dicit, ſe non admiſſurum, niſi eodem reſpectu quantitates recipiant; atque hac via materiales mundi proportiones eligit, formas vero recuſare videtur; quippe quæ communi quantitate menſurari non poſſunt. Et tamen pergit ad exemplum formale, videlicet ad motum Martis & motum Jovis diurnos: Unde, quam male hæc cum præcedentibus conveniant, quæſo attendite. Dicit enim Harmoniam meam à ſua diverſiſſimam, quia ex luce & materia fundamenta mea deduco: Et tamen ipſe hic à motu derivare videtur Harmoniam ſuam, qui nihil aliud eſt, quam effectus lucis; nam à luce oritur actus, & ab actu motus procedit: Unde patet, quod ejus Harmoniæ cauſa ſit tantummodo meæ cauſæ effectus, ſicuti calor dicitur ignis effectus: Eſt enim lux in corpore Planetæ illud, quod movet, hoc eſt, vel majori vel minori motus proportione; videlicet aut tardiori aut velociori gradu impellitur pro vigore majori vel minori lucis; ſeu formæ, aut animæ moventis & agentis in corpore Planetæ, cui ineſt proportione debita ad diſpoſitionem molis materiæ; Porro etjam in eo, quod dicit, ſe non admittere niſi eas Harmonias, quæ in eodem reſpectu quantitates recipiunt, hoc quidem aliter ſeſe poſſe habere ſupra demonſtravimus per duas ejuſdem quidem longitudinis & tenſionis, ſed variæ ſeu diverſæ magnitudinis chordas. Concludimus igitur, quod incongrua ſit ejus in hoc contextu affirmatio.

TEXTUS XXI.

Nec minus diverſitatis inter nos & in hoc conſiſtit, quod ille Elementari regioni quatuor adſcribit gradus obſcuritatis & tenebrarum, quia quælibet pars, ait, quatuor quartas habet, ſane non minus quam tres tertias, & quinque quintas: jamque Terræ ineſſe omnes quatuor, aquæ tres, (eoque illam eſſe iam pellucidam) aeri duas, igni unam:

ANALYSIS.

HOc loco in quæſtionem vocatur numeri quaternarij dignitas; quam quidem, ut pro ingenij mei tenuitate manibus pedibuſque defendam, urget me Authoris importunitas. Numeri igitur hujus præ cæteris excellentiam non modo ſummam celebravit Divinitas, quo equidem eum pro divino habere & agnoſcere inducor; verumetjam ipſa Natura, Divinitatis ancilla, ſcientiæque Mathematicæ nobiliores, videlicet Arithmetica, Geometria, Muſica atque Aſtronomia ejus mirabiles declaraverunt effectus. Proinde, ſi ejus in divinitate laudes diligenter fuerimus ſcrutati, percipiemus primo loco, quod numerus hic quadratus Deo patri adapatetur, in quo totius Trinitatis ſacroſanctæ myſterium includitur: Nam quaternarij proportio ſimpla & prima, unius videlicet ad unum, ſuperſubſtantialis eſſentiæ paternæ, Monadis ſymbolum denotat; ex qua Monas ſecunda procedens filium genuit ſibi æqualem; atque hæc proceſſio ſecunda etjam ſimplex eſt ut 1. ab 1. Proportio autem duorum ad duo, quæ eſt ſecunda à ſimplicibus proceſſio, denotat Spiritum Sanctum, à duobus, videlicet à Patre & Filio: Quas quidem proceſſiones in numero quaternario exprimit luculenter nomen illud ineffabile יהוה: Ubi duplex He ſeu ה denotat proceſſionem à Jod Patre, & Vau Filio: Unde nomen hoc ſolum eſſentiam Dei exprimens, & non aliud dicitur *Tetragrammaton.* Atque hinc eſt, quod hic numerus *caput & fons* à Sapientibus dicitur *totius Divinitatis.* Ipſa natura, quæ ortum ſuum ducit à divinitate, hunc etjam numerum pro ſuo principio ſibi vendicat: Atque hoc idem eſt, quod cecinere Pythagorei, qui hunc numerum *perpetuum Naturæ fontem* vocaverunt; quemadmodum ex his verſibus ſequentibus apparet, quibus Pythagorei iurare ſolebant:

Iuro ego per ſanctum pura tibi mente quaternuum,
Æternæ fontem Naturæ animique parentem.

At vero quomodo hoc ſit verbo jam dicam: Dualitatem Pythagorei non numerum, ſed unitatum confuſionem fecerunt: Unde ejus quadratum pro primo numero pari ſtatuerunt; nec quidem hoc ſine ratione: nam cum una unitas denotet formam ſeu actum divinum, altera vero potentiam divinam ſeu materiam, neceſſe eſt, ut potentia per actum ex tenebris appareat; quarum ſane unitatum prior per nexum Unitatis trinæ univerſa mundi ſubſtantia ſecundum proprietatem Trinitatis ſacroſanctæ facta eſt. At vero, quoniam primum quadratum erat à numero binario, ideo progreſſio naturæ erat in numerum iſtum quaternarium, qui eſt ad numerum binarium proportio dupla, ſeu binarij quadratum; atque hac via diviſa eſt univerſalis mundi ſubſtantia aquea in 4. Elementa ab invicem diſtincta: A quo quidem numero pari primario progreſſus fit ad Cubum primum in rerum natura, qui eſt numerus Octonarius, ſeu quaternarius duplicatus, compoſitiones denotans ex Elementis, ſicuti ipſa elementa, tanquam quadratum, proceſſerunt à numero binario materiam ſimplicem & formam ſimplicem ab invicem diviſas denotante. Hinc igitur

procedebant quatuor naturæ,gradus ad quatuor Elementa relati,videlicet Eſſe, Vivere, Sentire, Intelligere, 4.mundi Cardines, 4.in cœlo Triplicitates, 4.ſub cœlo qualitates primæ, 4.anni tempora: Imo vero tota Natura 4. terminis comprehenditur,videlicet ſubſtantia,qualitate, quantitate, & motu: Quadruplex denique diſpoſitio naturam univerſam implere ſolet, videlicet virtus ſeminaria, naturalis pullulatio,adolens forma,& compoſitum: Sed & infinitis alijs rationibus hanc Naturæ quaternariæ proprietatem in eandem cauſam reſpicere licet: Quibus equidem luculenter probare poſſumus, eam magis ad naturæ humidæ diviſionem & diſtinctionem eligendam eſſe, quam aut ternariam aut quinariam. Arithmetica etjam hujus numeri eminentiam præ alijs numeris arguit; quippe qua ſcientia tam duplex ejus proportio optime explicatur,quarum videlicet prior eſt unius ad duo,poſterior vero duorum ad quatuor,quam ejuſdem origo cum gemina proceſſione & proportione producitur ac naſcitur, videlicet unius ad unum & duorum ad duo. Ab unitate ergo incipit,& in quaternitate deſinit. Et quidem in hoc numero omnes alij numeri comprehenduntur: Nam unum & unum faciunt 2.& ex 1.& 2.exurgunt 3.atque ex tribus cum unitate 4.oritur: Sic ergo ſtabunt 1. 2. 3. 4. in quibus omnia totius mundi & ipſius Naturæ myſteria atque Arithmetices dimenſio continentur: Nam ex 3. & 4. numerus ſeptenarius prodit, qui ſi formaliter conſideretur plane myſticus,arcaniſque pleniſſimus eſt; Ex 2. & 3. numerus quinarius additione reſultat; ex 1. 2.3.numerus ſenarius;ex 1.3.& 4.numerus octonarius,ex 2.3.& 4.numerus novenarius; & tandem ex aggregatione totius progreſſionis naturalis 1. 2. 3. 4. numerus producitur denarius, ultra cujus denominationem non eſt digreſſio. Ex his igitur progreſſiones omnes Geometricæ & proportiones Muſicæ oriuntur, ut 1. 2. 4. 6. 8. 10. Et 1. 3. 6. 9. Et 1. 4. 8. Et quidem, qui recte intelligit uſum progreſſionis iſtius naturalis 1.2.3. 4. in formali ſpeculatione,ei non occultabitur myſterium 7. dierum creationis,& cur Sol quarto die factus ſit, ac quomodo 3. ad 4. conſtituant numerum ſive ſeptenarium,ſive denarium,ſive quaternarium in numeris rationalibus,& cur numerus quaternarius ſit dies Sabbathi ſeu requietis,& cur dies ſolis, item quomodo in vera operatione naturali tria denotent & conſtituant numerum ſenarium,dieſque in creatione ſex importent; dierum criticorum annorumque climactericorum rationem expiſcabitur,imo vero & conſiderando 4. pro unitate videbit oculis quaſi apertis ſeptem Planetarum in mundo procreationem, & multa alia mirabilia. In Geometria infinita eſt ejus poteſtas,quatenus hanc Matheſis partem 4.terminis amplectitur, nempe puncto, linea, ſuperficie, & corpore: Ab eo etjam Cubum illum Geometricum originalem procedere cernimus,ex cujus meditullio ipſe author noſter produxit cætera,tanquam 4.elementa ex ventre Chaos: nam ex quadrati multiplicatione Cubus producitur,quem ipſe agnovit eſſe primigenium, & rationem totius habentem. Quod quidem cum ita ſit, neceſſe erat,ut numerum quaternarium potius eligeremus in noſtris diviſionibus;quippe in quem Cubus reſolvitur tanquam in prima ſua elementa, videlicet quadrata,ex quibus triangulus & pentangulus ſecundum propriam illius confeſſionem eliciuntur. Proinde dividenda eſt potius res naturalis compoſita Cubo relata, in ſuas quartas,tanquam quadrata,quam in 3.tertias aut quinque quintas; quoniam in corruptione fit reſolutio compoſiti ſeu Cubi in 4.elementa ſeu quadratum,ſicuti è converſo in generatione progreſſio naturalis à quadrato fit ad Cubum. Quam exactiſſime denique reperitur hujus numeri vis in ſcientia Muſica, qnatenus ipſe in ſe omnem Muſicæ harmoniam comprehendit: Nam in dupla,ut 1. ad 2. conſiſtit Diapaſon; in ſeſquialtera, ut 2. ad 3. conſiſtit Diapente, & in ſeſquitertia, ut 3. ad 4. Diateſſaron ſe habet. Porro etjam ex numero quaternario & ejus radice omnes conſonantiarum compoſitarum proportiones oriuntur; ut Diapaſon cum Diapente ſe habet in tripla ut 2. 4. 6. Nam inter 2. & 6. proportio tripla eſt aggregata ex dupla,nempe 2.& 4.& ſeſquialtera, videlicet 4. & 6. Sed bis Diapaſon reperitur in quadrupla,ut 2. 4. 8. Diateſſaron autem & Diapente unum conſtituunt Diapaſon, ut 2. 3. 4. Ex quibus videre licet, quod omnes proportiones in Muſica ex numero quaternario,& ejus radice virtutes ſuas recipiant, & in ejus dimenſiones vel cadant vel exurgant. Ad Aſtronomiam denique myſticam ſi reſpiciamus, totam equidem numeri quaternarij vim in ea perſpiciemus, idque luculentiſſime; cum totum ejus arcanum in Monade hieroglyphica comprehendatur, Lunæ Solis,elementorum,& ignis ſymbola præ ſe ferente,tanquam quatuor illa, quæ in mundo agunt & patiuntur ad inducendas aſſiduas in eo mutationes,quibus tam corruptiones, quam generationes in eo fiunt: Figura eſt hujuſmodi:



Luna.
Sol.
Elementa.
Ignis.

In quo quidem ſymboliſmo videmus primum in cruce numeri quaternarij indicium per diſpoſitionem quatuor linearum in communi puncto,qui juncto numero ternario, Lunā Solem & Ignem denotante numerum producet ſeptenarium;id quod etjam ex 4. elementis præſtari poteſt: Et tamen hic numerus ſeptenarius in ſe eſt nihil aliud quam numerus quaternarius formaliter conſideratus.

Porro

Porro etjam rem obſervaverunt Aſtronomiæ vulgaris peritiores magni momenti, quando Zodiacum in triplicitates 4. diviſerunt. Concludimus ergo, quod Sapientes hunc numerum Tetractin appellaverint, ipſumque omnibus alijs numeris virtute prætulerint; quippe qui eſt fundamentum & radix omnium aliorum numerorum, ut dictum eſt. Unde omnia fundamenta, tam in artificialibus, quàm in naturalibus, imo vero & in divinis quadrata ſunt, quemadmodum in ſuperioribus declaratum eſt. Sequitur ergo, quod præſtantior ſit rei naturalis per numerum quaternarium diviſio, qui eſt ipſius Naturæ ordo, quam per ternarium aut quinarium, qui natura ſunt radici quaternariæ, & per conſequens ipſi quaternario poſtponendi. In diviſione denique terræ in 4. partes, aquæ in tres, aeris in duas, & ignis in unum, diſtributio illa non eſt intelligenda Authoris more, ut ſupra declaratum eſt, ſed reſpectu proportionis formalis in illis elementis: namque demonſtrare nitor, quod natura terrę, quatenus eſt baſis, & quaſi fons ac cubus materiæ, parum aut nihil habeat formæ ſeu lucis vivificæ in ſe, & quod ſit quaſi vas ſeu matrix Naturæ, atque influentiarum cœleſtium receptaculum, ita ut illa lux, quam habet, magis ei adſit per accidens, quam à natura; quatenus longius diſtat à fonte lucido, & eſt omnium elementorum frigidiſſimum, idque in gradu quarto; ſicuti aqua etjam frigida eſt, ſed in gradu remiſſiori; Quare unicum lucis gradum in ſe admittit; & ſic in cæteris. Sapientis igitur eſſet recte intelligere, priuſquam inconſulte condemnare.

TEXTUS XXII.

Rurſum alibi, quamlibet regionem cuiuſlibet ſeu Elementi, ſeu Cœli in tria ſubdividit ſpacia, in ſummum, medium, & imum, non ubique ſequente ſenſuum probabilitate. Vides unitates eius rurſum eſſe arbitrarias.

ANALYSIS.

Dicimus, quod mundi effigies ſit Archetypi imago: Ut igitur creator omnium ſeſe dilatavit ac patefecit proceſſione à ſua unitate in tres proprietates, quo ſecundum diſpoſitiones earum mundus conderetur; ita etjam mundum in regiones tres, proceſſionibus & proprietatibus ſacroſanctæ Trinitatis reſpondentes, partitus eſt; quarum prima Patri attributa eſt, utpote cui lucis fons & origo aſſignatur; Patri ergo primum cœlum ſeu primi diei opus datum eſt, filio ſecundum; Unde dictum eſt; *Verbo firmavit cœlos*; & tertij diei opus, quo elementa cœli infimi producta ſunt, Spiritui ſancto correſpondet. Ad normam etjam hujus rei, & ſecundum hunc ordinem iterum quodlibet cœlum ſubdividitur: Quod quidem ideo probatur, quoniam ab ipſis Theoſophorum patribus ſapientiſſimis proditum eſt, cœlum Empyreum in hierarchias tres eſſe diviſum: Et tute fateri coactus es, iuxta Veterum ſententiam æthercam regionem in orbes 9. diſtinctam eſſe, qui per 3. diviſi tres partes diſtinctas relinquunt. Sed ille negat æqualitatem intervallorum orbium Planetarum; Et tamen probabilius erit, ut ego affirmem, quam ut ipſe neget: Quare ſub judice lis ſit. At vero ipſe agnoſcit, eaſdem impreſſiones ſuperiores eſſe idealiter in inferioribus, ut Zodiacus idealis in terra, quia erat idealiter in cœlo; ideoque probabile erit, quod cæteræ etjam mundi cœleſtis portiones reſpondeant ſuis impreſſionibus, & quaſi imaginibus in elementis. In hoc etjam ipſe male me capit: namque ipſius phantaſia conceptus ejus ad dimenſiones quantitativas ducit, dum ego de proportionibus intellexi inter materiam & formam in regionibus mundi; non de dimenſione, inquam, intervallorum, ſed de proportione actionum & paſſionum inter materiam & formam, ſeu inter aquam & lucem. Ipſe ergo intendit pyramidem materialem, & ejus dimenſiones quantitativas, ego non de materiali cogitabam quidem, niſi quatenus formalis cum ea erat mixta; atque ſic quantitates meæ fuerunt ideales & proportionales in conſideratione formali, & non aliter, licet demonſtrationis gratia lineis & diſtantijs mathematicis ſim uſus; Et proinde hujus dimenſionis probabilitas non eſt in ſenſu, ſed potius in intellectu. Vides ergo ejus abjectiones eſſe arbitrarias, & à rei veritate diſſonantes.

TEXTUS XXIII.

Ille tamen pergit ob id inter Terram & aquam ſtatuere Diateſſaron, tria vero eius intervalla, tonum, tonum, ſemitonium, tribus applicare ſpacijs, ſummo, medio, imo; cum illi certas ex cauſis ſuis quantitates, iſta ne metas quidem à natura, menſuras vero ſecundum hæc generaliſſima principia, plane indeterminatas habeant: & ſic de cæteris. At mihi unitates naturales, bini ſc. motus Planetarum extremi (ſeu diurni ſeu horarij, nihil intereſt) expreſſi à natura in certas ſuas quantitates, ſunt propoſiti, in quibus Harmonias quæram.

ANALYSIS.

DE tribus terræ regionibus nemo fere philoſophantium unquam dubitavit & de ipſarum differentijs non magis, quam de minerali, vegetabili & animali regnis, regionibus illis natura correſpondentibus: Unde, ut graduum differentia eſt inter regnum minerale & vegetabile, atque etjam inter hoc & animale, quippe quorum unum eſt magis fixum, terreum, aqueum, aereum vel igneum, quam alterum; ita procul dubio ſunt proportiones inter actum unius regionis & alterius. Cognoſcimus autem, quod, ut mineralia magis ſunt compacta & fixa atque gravia, ita etjam terræ portio ad centrum vergens ſit magis ponderoſa, & quod itidem, uti vegetabilia ſunt magis volatilia & ſecundum naturam fluida ac aquea, quam mineralia, ita etjam media terræ regio aquis fontium, unde dimanant flumina, abundet; Superior vero terræ pars magis aſſimilatur naturæ animali; quippe in qua vita rerum abundat, majorque eſt volatilitas & levitas. Ut igitur cognata eſt differentia inter terram, aquam, & aerem, ſic etjam eſt neceſſaria concatenatio in proportionibus inter centralem, mediam, & ſuperficialem terræ regiones: Quæ quidem proportiones non à natura materiæ procedunt, ſed ab occulta forma in eam inviſibiliter agente dependent; atque ita non ſunt poſitæ in oculari dimenſione aut menſura quantitativa, uti ille opinatus eſt: neque in hujuſmodi proportionibus conſiſtit harmonia mea; ſed in proportionibus inter actionem intenſiorem aut remiſſionem formæ, & paſſionem ſimilem materiæ, quibus unum elementum in ſuo toto ac partibus differt ab alio cum ſuis portionibus. Sic etjam aqua ſpiſſa & ſalſedine imbuta à dulci dicitur differre, & illa iterum à nube, aut nebula, ſeu vapore groſſo: & ſic in cæteris. Quare ejus motus harmonici à meis ita differunt: Quos ille amplectitur, ſunt particularium naturæ creaturarum, mei vero ſunt motus ipſiſſimæ naturæ ad perfectionem occulto modo tendentes; Ejus itidem motus planetarij ad tempora anni diſtinguenda magis proſunt; (juxta illud Geneſ. *ut eſſent ſigna tempora; dies & annos metientia*) habentque officia ſua particularia; iſti vero motus mei ſunt univerſales; quibus natura cujuſque rei & creaturæ, ſive elementaris ſiue cœleſtis, ſimulque ipſa elementa moventur in alterationes, & perfectionis appetitu agitatæ aſſidue circumrotantur: Semper enim & inceſſanter tendit Natura ad perfectionis metam, quamvis nonnunquam in ſuo motu impediatur. Hæc, inquam, eſt differentia inter Harmoniæ ejus & meæ rationem.

TEXTUS XXIV.

Ille in tenebrarum & lucis gradibus quærit proportiones Harmonicas, nullo reſpectu alicujus motus: Ego Harmonias non niſi in motibus quæro.

ANALYSIS.

QUod in hac quidem ſua aſſertione erret ex præcedentibus videre licet: Nam putat ipſe, me circinis Geometricis proportiones meas inveniſſe; & fallitur; quoniam mea Harmonia in veriſſimis & certiſſimis imperatricis naturæ lucidæ actionibus conſiſtit, uti ſæpius dictum eſt. Porro, quam ridicula ſit hæc ejus aſſeveratio, patet ex eo, quod lux eſt creatura omnes alias activitate ſuperans & excellens: quare, cum lux ſit harmoniæ meæ ſubjectum & tenebræ, neceſſe eſt, ut Harmonia mea conſiſtat in motu & actione lucis in tenebrarum materiam, tanquam agentis in patientem: Et per conſequens valde temerarius erat ille Authoris ſermo, & invidiæ, aut ſaltem inſcitiæ argumentum, manifeſtum, quo narrat, me ſine reſpectu alicujus motus quærere proportiones harmonicas in tenebrarum & lucis gradibus: Sed ipſe oculis, & non animo, Harmoniæ meæ ſubjectum reſpexit, ut umbram capiendo corticemque amplectendo ſubſtantiam nucleumque penitus omiſerit.

TEXTUS XXV.

Ille pauculas aliquas concordantias delibat, easque èx ſuarum pyramidum mixtura, qua mundum ipſe privatim in ſuo animo pictum circumgeſtat, elicit, ſeu ab illa repræſentari probat: Ego totum corpus Harmonicæ contemperationis cum omnibus partibus, in extremis Planetarum motibus proprijs, ſecundum certas & ab Aſtronomia demonſtratas menſuras ineſſe demonſtravi. Ipſi itaque conceptus ſuus mundi; mihi Mundus ipſe, ſeu in eo reales Planetarum motus ſunt ſubiectum Harmoniæ Mundanæ.

ANALYSIS.

QUamvis ego ex pyramidum axe,ſeu juxta *textum* Authoris 18.ex ſemidiametro machinæ monochordum compoſuerim,attamen illud monochordum mundanum non aliter univerſam mundi harmoniam examinat,univerſaque ejus intervalla ſeu differentias in harmonica actione & paſſione,facta inter materiam & formam,per univerſam mundi diſpoſitionem phyſicam tentat, quam in monochordo Muſicæ meæ artificialis, in quo omnes conſonantiæ muſicæ, omniaque intervalla & proportiones explicantur, quæ unquam in ſyſtemate muſico comprehendi poſſunt, numerando à capite ad caudam ejuſdem: Nam, ſi chorda in medio prematur,conſonantiam duplicem Diapaſon ad apertam chordam tonando exhibebit; atque iterum, ſi quælibet illarum conſonantiarum ſimiliter dividatur in duas partes,quadruplam producet proportionem;atque ita uſque ad ineffabilem diviſionem,uti in monochordi mei diviſione,in *libro 2.& 3.Templi mei muſici* declaratum eſt luculentiſſime.Dicimus igitur,quod eadem ſit ratio in chorda longitudinem unius ulnæ habente, & in chorda à mundi circumferentia ad machinæ centrum producta, reſpectu intervallorum, proportionum, & conſonantiarum harmonicarum inventionis: Nam ſi univerſus mundi ſemidiameter in duas dividatur partes, ambæ quidem illæ partes ſonabunt ad totum in proportione dupla, atque ita, ut in monochordo artificiali dictum eſt.Dicimus præterea,quod *Ars ſit Naturæ ſimia*; atque hoc quidem in Muſica artificiali, rectiſſime affirmari poteſt; quippe quæ fundamenta ſua ab ipſa natura accepit: Non enim eſt aliquid proportionum aut intervallorum in vocibus ſeu ſonis, quod non reperiatur in phyſica Macrocoſmi cõſtitutione,quæ vim ſuæ Harmoniæ à perenni & ſuperſubſtãtiali Amoris fonte comparavit; ita ut Muſica artificialis ſit Harmoniæ mundanæ umbra ſeu icon, atque hæc illius divinæ ſive Archetypicæ imago; quæ in Trinitatis proprietatibus ſymphoniacis, numero Tetractij comprehenſis,conſiſtit. Quare,tametſi Authoris oculo perpaucæ videantur meæ Harmoniæ proportiones in chorda ſeu axe communi utriuſque pyramidis comprehenſæ, attamen innumeræ & ineffabiles ſunt conſonantiarum & proportionum gradus,quæ tam in monochordo mundano quam artificiali explicantur: Imo vero probare auſim, quemlibet lineæ ſemidiametralis gradum etjam in atomos diviſum habere ſuas proprias virtutes in harmonia mundana: quod quidem oculis ſenſibilibus diſtinguere impoſſibile erit,oculis vero rationis demonſtrare facillimum. Non eſt igitur hæc mea Harmonia tam imaginaria,ut ſolo animo meo ſit depicta,cum ex certis & infallibilibus conſtet fundamentis,prout in Monochordo artificiali illud demonſtrare poſſumus, imo vero in vegetabilium incremento,& animalium generatione ac mutatione atque etjam in aſſidua elementorum ratione harmonia hæc noſtra approbatur: Illa vero Authoris, chimæris aſſimilatur vanis in aere imaginatis,& ex accidentibus meris creaturarum naturalium, ex motibus nempe Planetarijs, extrahitur,ac ſi omnis inferiorum anima à Planetarum aſpectibus aut motibus dependeret: Quod quidem falſiſſimum eſſe probatur argumento à creatione deſumpto: ac ſi videlicet terram non extitiſſe, plantaſque in ea minime viguiſſe, aut ſemina multiplicationem ſuam non habuiſſe, cæteraque elementa motu naturali non moviſſe certum eſſet,priuſquam ullus Planetarum,& per conſequens aſpectuum aut motuum eorum,vim aliquam aut exiſtentiam in cœlo poſſederit; cum tamen illa cum creaturis ſuis die tertia fuerint creata, hi autem die demum poſtero. Ettamen ipſe nullam harmoniam mundanam niſi à Planetarum motibus admittit: Quod quidem ſi concedatur ei, abſurditates duæ ſequentur;quarum prior eſt,quod major ſit vis in naturato quam in naturante,vel in re naturali,qualis eſt Planeta,quam in Natura; Poſterior,quod ante Solis & Planetarum ortum nulla fuerit harmonia in mundo,tertia die completa;quod quidem an fas vel æquum ſit dicere, veſtro judicio, Lectores benevoli,determinandum relinquo: Nam,ſi ipſe totum corpus harmonicæ ſuæ contemplationis cum omnibus ejus partibus in extremis Planetarum motibus conſiſtere docet, ſequitur inde,nullam in mundo fuiſſe Harmoniam,ante Planetarum cum ipſorum intervallis in proportione Cubica,Tetraedrica Dodecaedrica,Icoſaedrica,atque Octohedrica poſitionem in cœlis,quoniam ſine diſtinctis intervallorum proportionibus Harmonia aliqua in mundo fieri non poteſt. O extremum hominis delirium, qui lucis & tenebrarum materiæ, imo vero facultatis imperatricis regiæ Naturæ oblitus ad ſtellas, naturæ fabricas, idololatræ inſtar cum Ethnicis confugiens fabricæ mundanæ actum & gubernationem ab earum eſſentijs profluere ſtatuit, ſtella illa vera matutina, ipſo nempe Sapientiæ Carbunculo neglecto, qui pulchritudine claritateque ſoli & ſtellis cœleſtibus, multis gradibus eſt præponendus. Ipſe ergo ſolem cœleſtem motus fontem ubique in operibus ſtatuit;ego vero ipſam ſapientiam ubique mundi laticem pererrantem. Quod ſi aliquibus hæc mea ſententia cum ſacro contextu conveniens;videbitur haud veriſimilis aut perſpicua,fruatur, inquam,trophæo ignorantia,quod multis ſeculis fixit ipſa,ſintque vana mundo ignorantia obruto hæc verba mea,quæ vere & è veritatis fonte protuli. At vero ſapientum ſcio eſſe chorum, qui mundum ejuſque harmoniam meo more publicatam, non depictam aut phantaſticam, ſed realitati ac veritati quam proximam eſſe ſtatuent, nec judicabunt, conceptum meum mundi eſſe Harmoniæ

meæ

meæ ſubjectum, ſed ipſius mundi animam, ejuſque in ſuo corpore aqueo motum; imo vero oculis apertiſſimis percipient ipſum Authorem accidentia pro ſubſtantia, motum nempe privatum loco ipſius Naturæ lucidæ pro ſuæ harmoniæ fundamentis incongrue accepiſſe.

TEXTUS XXVI.

Ex his paucis conſtare arbitror, etſi ad intelligenda Myſteria conferta philoſophiæ profundiſsimæ, quam tradit Robertus, cognitione proportionum harmonicarum omnino opus eſt: tamen illum; qui vel totum opus meum edidicit, adhuc à myſterijs illis perplexiſsimis abfuturum haud paulo longius, ac ipſæ ab accuratiſsima certitudine demonſtrationum mathematicarum receſſerunt.

ANALYSIS.

NUnc Joannes hic noſter cum egregia victoriæ ſuæ publicatione Appendici huic ſuæ finem imponere geſtit, in quo laudibus ſuis perenne (exiſtimat) monumentum condere, famamque meam, qualis qualis ſit, in dedecoris abyſſum detrudere, atque in ignorantiæ inſcitiæque gurgitem præcipitare ſibi proponit, ut ita fortuna mea glorioſior videatur ejus mundo triumphus. Et ſane fruatur, ſi poterit, trophæo, quod figere ſperavit. Verum enimvero æquum nihilominus erit, ut veritas locum habeat, falſitaſque uſque ad tenebras polares in exilium relegetur. De myſterijs ad ea aperienda, tandem loquitur; quæ à me male intellecta eſſe dicit; utpote cui deſint demonſtrationes; cum ipſe jam in lucem ediderit Myſterium Macrocoſmicum ante annos 22. uti ipſe fatetur; factum; ubi totum Naturæ myſterium, deliteſcere videtur agnoſcere, idque futiliter. Sed; quia memini, duplex in mundo eſſe myſterium, veritatis ſcilicet & injuſtitiæ, uti ex Apocalypſi colligimus, videndum eſt, an myſterium ejus ſit illud tendens ad deluſionem, vel ad viſionem veritatis, ad philoſophiam vanam & falſam (cujus mentionem facit Apoſtolus) vel veram: Vim equidem illius myſterij ſui in hoc Harmoniæ ſuæ ſubjecto comprehendi fatetur. Quid igitur de illo judicabimus, cum, quæ in hoc opere reperiuntur fundamenta, tam longe à veritate diſcrepare videantur? Meas quidem proportiones Harmonicas ſuo more ab accuratiſſima demonſtrationum Mathematicarum certitudine receſſiſſe judicat, quoniam in matheſi vulgari magis verſatur; de illa vero naturali & vere formali nunquam prælibaſſe aut guſtaſſe videtur. Quod cum ita ſit (ut per inquiſitionem ejus in *Appendice* factam apparet) impoſſibile à Sapiente æſtimabitur, ut talis recte de coloribus judicet, quem lucis & tenebrarum in machina mundana effectus non modo ignorare, verum etjam ore duro abnegare non piget. At vero, quod ad proportiones meas Mathematicas attinet, quas per demonſtrationes ad meas circa Naturam intentiones explicandas edidi; illas equidem tam veras atque certas eſſe ſcio, quam, quod ipſe circa intentionem & mentem meam in occulti naturæ ſeu lucis & aquæ myſterij cognitione à via vera aberraverit, pro certo intelligo. Nec quidem (dicat quicquid placuerit) culpam aliquam in ijs meis demonſtrationibus invenire poteſt. Sed hic tota latet difficultas, quod ipſe motus rei naturatæ exteriores excogitat, ego actus internos & eſſentiales ab ipſa natura profluentes conſidero; ipſe caudam tenet, ego caput amplector; ego cauſam principalem, ipſe illius effectus animadvertit. Et tamen ipſe, quamvis motus ejus extremi ſint reales (ut dicit) magis cœno & luto impoſſibilitatis ſuæ doctrinæ inhæret, & perplexiſſimis obſcuritatis vinculis obligatur, quàm, ut ſe facile ex laqueis iſtis, ſalvo ſuo honore, liberare, captumque redimere queat minimo; atque ita qui foveam alijs fecit in eandem ipſemet ignoranter incidit.

Examen, numeri 27. ſeu ternarij Cubi locum implens.

JAm, ut perfectum numeri ternarij cubum *in Appendice* hac noſtra, videlicet locum 27. compleamus, videamus, obſecro, verbis pauciſſimis; quænam ſit inter intenſionis Harmoniæ ejus medullam & harmoniæ meæ ſubjectum diſcrepantia: ac tandem; quænam ipſarum plura veritatis teſtimonia rationibus philoſophicis & authoritatibus ex fonte ſacro depromptis ſtipata ad ſuam doctrinam ſtatuminandam habeat, inquiramus.

Joannis Keppleri Harmoniæ Epitome.

JOannis Keppleri Harmoniæ ſubjectum conſiſtit *primum* in proportionali Planetarum in cœlo poſitione; *Deinde* ad ſuæ harmoniæ complementum ipſam terram inter ſiderum cœli mobilium numerum ſtatuit; *Tertio* Solem facit centrum illud immobile, & tamen motus fontem, circa quod omnes Planetas præter Lunam movere dicit. Proportionem ſituum Planetarum quorumlibet ab invicem, qua quilibet conſonantia à reliquis diverſa tonet, ex Pythagorica, Ariſtotelica, Platonica, Euclidica,

clidica,Procleanica & Copernicana doctrinis, à proportionibus varijs quinque corporum Geometriæ regularium derivavit,quamvis fateatur,inventionem ſuam ſuperare intentiones Pythagoræ, Ariſtotelis,aut Platonis: Nam in eo,quod ipſi proportionem Cubi terræ applicuerunt, hic autor noſter Cubum Saturno attribuit,ejuſque proportionem ad intervallum inter orbes Saturni & Jovis ſtatuit: Ipſi etjam Tetrahedrum igni dederunt, hic Marti, ejuſque proportionem diſtantiæ inter Jovis & Martis orbes donat: Porrò ipſi Dodecaedron cœlo attribuerunt, hic vero ipſius proportionem ſpatio inter orbes Martis & terræ accommodavit: Exinde illi Icoſaedron elementi aquæ fecerunt ſymbolum,at hic Veneri ejus naturam appropriavit; atque diſtantiæ inter telluris & Veneris orbes; Denique figuram Octoedron,quam ipſi adhibuerunt Aeri, hic Mercurio adſcribit ejuſque proportionem dimenſioni inter orbes Veneris & Mercurij. Rationes,cur tanta eum invaſerit confidentia, ut Philoſophorum dicta ad ſuam opinionem ita torqueat,hiſce verbis explicare videtur. *Proœm.lib.1.* *Cum ipſi Cubum terræ dabant forte Saturnum intellexerunt,cujus orbis interpoſitu ſummotus eſt à Iove: Saturnus vero motum tardiſſimum quieti proximum eſt ſortitus. Sic Aeri datum Octoedron legit Ariſtoteles, cum illi forte Mercurium intellexerint ,quippe omnium velociſſimum,ut ipſe aer: Ignis vocabulo fortaſſe Mars fuit inſinuatus: & ſic in cæteris.* Hæc ille. Ipſos etjam Pythagoræos habuiſſe opinionem ſibi reciprocam, videlicet, quod quinque illa corpora non tradantur elementis,ſed ipſis Planetis; ex Procli ſententia colligit, qui docet, quod finis Geometriæ unicus ſit docere, quomodo cœlum figuras convenientes certis ſui partibus acceperit. Fulcrum etjam aliud,quo ſtatuminare videtur hanc ſuam opinionem,reperitur *fol.59. lib.* 1.ubi in hæc verba de quinque corporibus Pythagoræorum loquitur: *Dixi in præambulo libri mei, mihi videri conſentaneum,eandem doctrinam etjam Veterum fuiſſe,ſed occultatam more ſectæ.* Quomodo autem hæc corpora cum angulis adaptentur intervallis orbium cujuslibet Planetæ,magis expreſſe indicat *cap.3. lib.5.* Sed,ut hæc melius inter ſe convenirent,atque ut harmonia ſua magis eſſet ſymphoniaca,neceſſe exiſtimavit eſſe,ut terram numeraret inter ſidera: Sermo ejus eſt hujuſmodi,*cap.3.lib.5.* *At, quia apud vulgus ſtudioſorum adhuc novum eſt,& dogma auditu plerisque abſurdiſſimum,Terram ex Planetis unum eſſe,interque ſidera ferri circa Solem immobilem,idcirco ſciant,qui hujus ſcientiæ inſolentia offenduntur, ſpeculationes has harmonicas etiam in Hypotheſibus Tychonis Brahei locum obtinere: præterea quod author ille cætera omnia, quæ ad diſpoſitionem corporum & contemplationem attinent cum Copernico habet communia: Solum terræ motum annuum Copernicanum transfert ipſe in totum ſyſtema orbium Planetariorum,in que Solem,qui eius medium obtinet conſenſu Authoris utriusque.* Hæc ille. Dicit etjam ibi, quod,juxta Copernici ſententiam;tellus circulum metiatur motu ſui corporis reali medium incedentem inter circulos Martis exteriorem & Veneris interiorem: Ad Solem denique quod attinet,videtur *capite eodem* ex Copernici ſententia (cui *cap.3.lib.5.* unice fidem adhibere omnibus ſuadet,relictis Hypotheſibus aſtronomicis antiquis Ptolomæi,&c, *cap. 4.lib. 5.* phantaſia retrogradationum & ſtationum) ſtatuere,terram cum reliquis Planetis (nam 7 .ſtatuit Planetas præter Solem) Sola Luna excepta,circa Solem immobilem ferri: at vero Lunam motu cæteris irregularem facit: quippe cujus centrum ita facit terram, ut ipſius terræ atque reliquorum Planetarum ipſum Solem. Saturnum igitur & Jovem,inter quos eſt Cubi intervallum, ſicuti inter hunc & Martem Tetrahedri diſtantia; ſimiliter Martem & tellurem, inter quos ſpatium Dodecaedri exprimitur, uti inter hanc & Venerem diſtantia: Icoſaedri; denique Venerem & Mercurium,quibus interponitur dimenſio Octohedri, facit Solem immobilem circumambire, & ſupra ejus centrum movere,à quo motum ſuum accipiunt: Unde *axiom.4.cap.9.lib.5.* & in multis alijs locis Solem facit fontem motus. Ab his igitur proportionibus corporum regularium ad invicem (quorum quodlibet ex alio ſumitur tanquam filius ex patre,& minor ex majori, ut Tetrahedron ex Cubo, & Dodecahedron ex Tetrahedro, & Icoſaedron ex Dodecaedro,& Octohedron quaſi ex centro omnium,& proinde proportione quadam harmonica unum ex alio extrahi dicit) harmoniam,propter motuum Planetarum eccentricorum varietatem inde proportionaliter orientem, componere ſtudet: Et imprimis varios cognationis proportionum harmonicarum cum quinque figuris regularibus gradus oſtendit *cap.2.lib.5.* Hinc *cap.9.prop.* 8.oſtendit,quod ob Cubi proportionem Saturno & Jovi attribuantur 1.2.ad 1.3. hoc eſt,Diapaſon,& Diapente epiDiapaſon,& quod propriæ proportiones junctæ motuum extremorum habuerint 2.3.Diapente circiter. Veneri & Mercurio attribuit majorem harmoniam 1.4.Disdiapaſon; Jovi & Marti 1.8.Trisdiapaſon fere: Et ſic in cæteris: Atque hæc quidem eſt vis Harmoniæ ejus mere cœleſtis. Alteram vero mixtam componit ex varietate aſpectuum horum Planetarum ita diſpoſitorum, anguloſque ſuis radiationibus in terra facientium: In qua quidem Harmoniæ ſpecie recurrere videtur ad figurarum regularium proportionem in plano, uti in cœleſti harmonia ſequitur directiones earundem in ſolido. Hoc, ni fallor, eſt totius libri ipſius ſubjectum, hoc doctrinæ ejus fundamentum.

Phyſices & Harmoniæ meæ mundanæ Epitome.

EX unitate ſeu potentia divina, ſeu tenebris dualitatem produco, lucem videlicet formam actumque univerſalem, & aquam ſeu materiam, & paſſivum tale. Hanc autem dualitatem ſeu mundi radicem per multiplicationem in ſe expanſam atque in ſuum quadratum dilatatam quatuor mundi elementa ab invicem diſtincta, fabricæque concavitatem ubique implentia procreaſſe puto; quorum fæx terrea tenebrarum in mundi capacitate more umbræ horrendæ ſive chaos deformis undique cuncta perturbans virtute lucis divinæ in centrum peripheriæ mundanæ reverberata eſt, quam tellurem voco. Dico etjam eſſe pyramidalem in natura aquea proportionem, cujus baſis ſit in terra, conus vero ſurſum ad peripheriam uſque inſtar ignis flamma tendat: quam quidem in ejus pyramide phyſica alterationem continuam à groſſo ad ſubtile fieri infallibiliter, aſſero propter inæquales lucis inviſibilis proportiones in materia mundana deliteſcentis, actioneſque varias ac motus occultos producentis: quos quidem naturæ actus Harmoniæ meæ mundanæ fundamenta facio, & non menſuras quantitativas, ut Joannes arbitratus eſt: Denique tertiam facio progreſſionem à quaternitate ad Octonarium numerum, ut tandem Cubica hac dimenſione ad compoſita ex numero quaternario perveniam: Ultra quem quidem gradum non eſt naturalis in hoc mundo progreſſus: atque in hac alteratione harmoniam Naturæ exactiſſimam in generatione & corruptione etjam cœcis quotidie apparere dico, videlicet progreſſionem à numero quaternario ad Cubum ſeu Octonarium in generatione, & regreſſionem à Cubo ſeu octonario in quadratum ſeu quaternarium, hoc eſt, compoſitionem ex elementis per generationem, & à compoſitione reſolutionem in ea tanquam retrogradationem à termino ad quem ad terminum à quo; Atque ita omnia poſt creationem induunt generationem & corruptionem: Hanc enim affirmo eſſe Naturæ rotam aſſidue in mundo agitatam, juxta illud Philoſophi; *Generatio unius eſt alterius corruptio.* Atqui horum radix permanens eſt ſemper in eodem actu, tanquam creationis privilegium poſſidens, ut inde elementa quatuor in ſuo eſſe conſerventur; Lux videlicet & Aqua, quæ ſunt mundi fundamenta. Concludo igitur, quod harmonia pyramidum ſit illa, quæ facta eſt ratione habita inter radicem, binariam, & quadratum, hoc eſt, inter lucem & aquam atque quatuor elementa, quæ ab ijs oriuntur, ut quadratum à radice. Elementa igitur nutriuntur & in Eſſe ac eſſentia ſua conſervantur harmonico quodam reſpectu procedente à radicibus principalibus, quarum activa natura, forma nempe harmonica proportione elementis adminiſtratur, & eſt hic actus vera mundi ſapientia; paſſiva vero natura in apta & convenienti menſura formæ conſonans materiæ ſucceſſionem ijs tribuit: Harmonia autem Generationis, Augmentationis atque Corruptionis & decrementi fit reciproca ratione, habita inter quadratum ad Cubum: Atque hic eſt ultimus Harmoniæ gradus, cujus primus ac primordialis erat inter unitatem ſeu divinam potentiam & dualitatem, ſecundus vero inter dualitatem & numerum quaternarinm. Atque hoc breviter eſt ſubjectum meæ Philoſophiæ Phyſicæ, hæc meæ harmoniæ mundanæ fundamenta.

Comparatio Harmoniæ meæ Mundanæ cum illa Joannis Keppleri; ubi declaratur, in quibus conveniant, & in quibus differant.

JOannes Kepplerus ſuæ Harmoniæ ortum à quinque Matheſis corporibus regularibus deducit, videlicet à Cubo, Tetrahedro, Dodecaedro Icoſaedro, & Octohedro, idque ex Veterum Philoſophorum ſententia: Atque hoc idem etjam eſt meæ Harmoniæ ſubjectum, quamvis loco vocabulorum illorum Geometricorum ego verbis Phyſicis ſim uſus. Quo ad ſubjectum igitur in hoc convenimus, quod ipſe corpora quinque Geometrica Pythagoreorum, Platonicorum & ipſius Ariſtotelis à proprio eorum ſenſu ad ſua detorqueat & crinibus quaſi attrahat, cum hac excuſatione *Proœm. lib.1. Cum Cubum terræ comparaverunt, fortaſſe intellexerunt Saturnum pro terra*: & ſic in cæteris: Ubi ſuppoſitionibus & imaginationibus male applicatis Harmoniæ ſuæ fundamenta ſabuloſa jecit. Deinde *Prop.25. lib.2.* videtur mihi aſſerere conſentaneum, hanc eandem doctrinam (intelligit relationem 5. corporum ad intervalla orbium Planetarum) etjam Veterum fuiſſe, ſed occultatam more Sectæ; Hæc ille. Unde videtur inconſtans & incertus in Philoſophorum intentionibus. At vero mentes eorum verbis ſibi plane contrarijs aperit; ubi dicit; Pythagoras, Plato, & Ariſtoteles has figuras mundanas appellaverunt, quatenus reſpexerunt quinque ſimplicia corpora mundi; Unde Cubum terræ, Icoſaedron aquę, Octohedron aeri, Tetrahedrō igni & Dodocahedron cœli ſymbolū fecerunt. Quę quidem corpora, quam male applicuerit Joannes ſuis intentionibus facillimum erit ei diſcernere, qui conſideraverit, totum mundum tertio die creationis completum fuiſſe priuſquam Sol & ſtellę in cœlo fuerunt poſitæ: Tertio enim die completa & ſecundum naturæ leges ordinata fuerunt Elementa,

& die

& die ſecundo completum eſt cœlum. Ex quibus videre licet, quod, ſi has figuras Geometricas applicaverint ad quinque mundi corpora, procul dubio de ſtellarum diſtantijs ad invicem ne cogitaverint quidem; quippe quæ ante mundi complementum non fuerunt creata. Quare incongrua eſt Keppleri de Philoſophorum intentionibus ſententia; & per conſequens valde debilia Harmoniæ ejus mundanæ fundamenta. At vero iſta Philoſophorum intentio cum meæ Harmoniæ ſubjecto in omnibus convenit: Nam mea me fert ſententia, quod ex Chaos ſeu Hyle materia opaca & tenebroſa lux cum materia aquea, tanquam ex utero materno, egreſſa ſit; qui quidem partus optime declaratur per eductionem Tetrahedri, ipſius ignis ſeu lucis primariæ ex cubo, qui eſt corpus maximum atque opaciſſimum. Nonne videtur ipſe hoc idem agnoſcere his e verbis *cap. 1. libr. 5. Cubus extremus eſt & ampliſſimus, quia primigenius & rationem habens totius?* Quid hoc ad Saturnum aut ejus orbem, qui eſt minima pars totius? Dicimus igitur, quod, ut ex Cubo primigenio per primum & virgineum partum natus eſt Tetragonus, qui etjam eſt Corpus, ſic quoque lux formalis primum cum ſuo corpore aqueo ſeu materia ſecundaria apparuerit ex tenebris, ſitque opus primi diei: Ita enim, juxta illud Eccleſiaſtici, *creata erat Sapientia ante omnia*, atque ita creata eſt dualitas in unitate vim trigoneam in ſe habens, per quam Trinitas in unitate operata eſt in mundo virtutem tetragoni ſeu 4. elementorum univerſaliorum in ſe retinens. Tunc pervenitur ad opus ſecundum creationis, in quo ex viſceribus Tetrahedri Dodecahedron extrahitur: Nam, facto ſpiritu lucido primo die, ex ejus viſceribus cœlum ſeu expanſum creatum fuit die ſecundo; quod quia quintum erat elementum, componitur ejus ſymbolum ex pentagonis: & numerus angulorum unius plani Tetrahedri in latera ductus produxit cœlorum latera per Dodecahedri figuram expreſſa: Ob hanc etjam rationem credere fas eſt, ipſum cœlum octavum in locos 12. fuiſſe diviſum ratione cinguli ſui, qui Zodiacus dicitur. Opus autem diei tertij eſt *congregatio aquarum in locum ſuum*, quarum ſymbolum eſt Icoſaedron; è cujus ventre abſconditus aer ſtatim evolavit, cujus ſymbolum eſt Octohedron: nam aqua fit aer ſubtiliatione; reſiduum autem Cubi obſcuri in terram reſidebat, atque terræ fertilis nomen jam obtinet, quæ antea à Moyſe dicta eſt *terra inanis*. Noſtra ergo hiſtoria mundi Phyſica hæc omnia introducit, licet mutatis vocabulis gratia ſubjecti voces phyſicas pro mathematicis accipiens. Nonne comprehenditur hoc totum in verbis Mercurij Triſmegiſti Serm. 3. *Erat umbra infinita in abyſſo; aqua inſuper & ſpiritus intellectualis per divinam potentiam in chaos inerant: Eloruit autem ſplendor ſanctus, qui ſub arena & humida natura elementa deduxit: Cumque indiſtincta fuiſſent levia poſtmodum in excelſam regionem evolaverunt, gravia ſub arena humida reſederunt. Diſtinctis libratisque rebus, quæ igneo ſpiritu vehebantur, emicuit cœlum ſeptem in circulis:* Per *umbram infinitam* intelligit, more Geometrico loquendo, Cubum, ultra quem in corporibus regularibus non eſt progreſſio, eſtque corpus primigenium & opaciſſimum: qui, cum gravidus erat, Chaos dictus eſt, peperitque aquam cum ſpiritu lucido, cujus virtute & actione aqua univerſalis cœli & elementa producta ſunt ordine, unum ſcilicet ex alio, omniaque alis igneis vecta diſtincta ſunt, & quod ex cubo tetrum ac grave erat, hoc omne ſub humida arena reſedit. Quod quidem omne agnovit ſapiens factum fuiſſe, priuſquam Planeta in palatio cœleſti fuerunt conſtituti; uti verbis hujuſmodi indicare videtur: *Diſtinctis libratisque rebus, quæ igneo ſpiritu vehebanter* (hic Muſicæ atque concentus mundani rationem eſſe igneum ſpiritum docet) *emicuit cœlum ſeptem in circulis.* Quibus verbis aperte docere videtur, quod harmonia mundana fuerit completa, priuſquam Planetæ ſeptem apparuerunt in cœlo; & per conſequens non ſeptem Planetarum motus, ſed ſpiritus ille divinus atque igneus ex Chaos revelatus, omniaque diſtinguens ac librans trutinis juſtitiæ, quamlibetque mundi regionem ſua virtute gubernans & ſuſtentans, qui erat ante omnia & primigenius, ac conſequenter ante Planetarum exiſtentiam; hic, inquam vitam, Harmoniam, & concentum, dat elementis atque elementatis, & nequaquam Planetæ nec eorum motus. Concludimus igitur quod ejus corpora quinque ad Harmoniam meam vere & ſecundum Veterum Philoſophorum intentiones pertineant, ipſe vero ea modo quidem ſpurio uſurparit, atque omnimodo contra dictorum Philoſophorum cogitationes; qui procul dubio ſpeculum veritatis habuerunt ante oculos, quo in illius rei veritate fuerunt inſtructi, cujus mutationibus varijſque partibus corpora hæc regularia non abſque ratione accuratiſſima adaptaverunt. In cæteris vero, niſi in vulgaribus Muſicæ rudimentis, parum certe & fere nihil convenimus, quatenus ipſe Copernicum ſequitur, ego antiquam Ptolomæi doctrinam amplecti non aſpernor; ipſe naturam ejuſque unitates linearum identitate metiri geſtit, atque Harmoniam mundanam dimenſionibus mathematicis capit, ego vero formæ actionibus occultis in materia mundana harmoniam meam naturalem attribuo: Ille motus Planetarios Harmoniæ fundamenta ſtatuit, ego motui ſpiritus ignei, ubique per mundi laticem ab origine natantis atque in eum diverſitate proportionum harmonicarum agitantis adſcribo Harmoniæ meæ virtutem.

Atque ita videmus, minimum eſſe inter nos conſenſum, quippe quod ipſe veris Philoſophorum principijs abutitur, & in ſenſum alienum ea vertit, ego me quam exactiſſime ad Philoſophorum dicta & ſacrarum ſcripturarum teſtimonia aſtringo.

D 2 Teſti-

Teſtimonia & authoritates tam Philoſophicæ, quam divinæ Harmoniam Joannis Keppleri confirmantia vel refellentia.

PRimo loco ſuæ Harmoniæ baſin fecit corpora quinque regularia Geometriæ: Deinde motum Planetarum ſuæ harmoniæ cauſam poſuit, quem duplicem facere videtur; videlicet vel ex radiationibus in terram angulos multifarios ibi facientibus, de quibus *lib.* 4. paſſim, vel ex motus Planetarum eccentricitate ſeu mutatione à Sole, de qua *lib.* 5. ubique. Atque hanc quidem Harmoniam ut ſuper baſes ſecuriores erigat, Terram ex Planetis unum ſtatuit, ipſamque inter ſidera ferri circa Solem immobilem docet: Solem centrum orbium Planetarum, Saturni, Jovis, Martis, Telluris, Veneris ac Mercurij, & per conſequens ipſum mundi centrum vocat *lib.* 4. *cap.* 9. Lunam vero pro centro ſuo terram habere vult: Denique horum motuum harmoniæ differentia intervalla, quibus conſonantiæ componuntur, à varijs quinque corporum regularium Geometriæ proportionibus ortum accepiſſe videtur aſſeverare. Pro harmonia aſpectuum propria utitur inventione; quam ut confirmet, Tellurem *cap.* 7. *lib.* 4. facit animal, eique animam peculiarem attribuit, quam angulis radiationum Planetariarum accenſam atque irritatam pluvias & tempeſtates meteoraque quæcunque in regionibus aeris excitare ſolere ait.

In ſacris ſcripturis nulla ſtellarum erraticarum, aſpectuum ad tempeſtates & meteora excitanda inveniuntur argumenta; ſed agnoſcunt illæ, Solem & Lunam quarto die creatos eſſe in hunc uſum, ut *Sol* quidem *afferret lucem diurnam, & dominaretur diei, Luna* vero *cum ſtellis* hoc idem officium præſtaret *nocti*; ſimiliter, *ut ſigna eſſent in ſtata tempora, in dies & annos Gen.* 1. Et *Pſalm* 104. 19. *Lunam ſtatuit in ſtata tempora, Solem agnoſcentem occaſum ſuum*; Et *Pſalm.* 136. 8. *Solem fecit Deus ad dominium obtinendum nocte.* Non igitur mentionem ullam facit hic de aſpectibus, quorum harmonia tot alterationes fieri ille dicit hîc in terra, ſed de uſibus ſupradictis: Unde indicat quod ſtellæ omnes ab ipſo Sole & Luna dependentes non plus habeant facultatis, quam eam ipſam, pro qua facti fuerunt ab origine. Fateor equidem cum Philoſophis doctiſſimis, nempe ex Platonicis Orpheo, Solem rectiſſime oculum mundi dextrum dici; & quod Heraclitus haud inſulſe dixerit, *Solem eſſe quaſi mundi animam*; utpote qua dempta nullus remanſurus ſit in eo vitalis halitus aut ſpiratio: Nonnulli vero volunt, quod dicatur *Cor Cœli*, quoniam, ſicut in corde vivus extat fons ſanguinis cætera humani corporis membra humectans & irrigans, motumque vitalem infundens, ſic in Sole videtur eſſe omnium rerum tam inferiorum quam ſuperiorum vegetatio & conſervatio, quatenus dicitur ubique calorem & vitam lumine ſuo diſpergere: rationemque faciunt hujuſmodi, quoniam ſcilicet lumen eſt actus ſimplex, cuncta ad ſe vivifico calore convertens, cuncta permeans entia, qualitateſque eorum & virtutes ducens per omnia, ac tenebras caligineſque diſpergens; Et hinc dicunt, *Phœbum in medio conſidere aurea coma fulgentem, & tanquam regem atque imperatorem mundi ſceptrum tenere*: Cui omnes cœleſtium ineſſe virtutes Jamblicus & Proclus affirmant, animamque mundi ob hanc cauſam in Sole exiſtere credunt, ac ſphæram æqualitatis ſeu animæ illam ſtatuerunt, per quam hæc anima tranſit. Quamvis, inquam, hæc omnia rite objici poſſint; atque porro etjam, quod eadem ſit noſtra doctrina in *libro de Macrocoſmo* edita, videlicet de admirabili Solis effectu, ac de ejus ſitu & motu, ratione interſectionum pyramidum, & multa alia; Velim tamen, ut Lector diligens ſenſum tam Philoſophorum, quam meorum ſermonum recte capiat & intelligat; quod ſcilicet hæc omnia de Sole viſibili intelligi debeant, quo quidem, quoad ſenſum ſenſibileſque effectus, nihil in hoc mundo judicari poteſt dignius aut nobilius. At verò, ſi oculis rationalibus paulo accuratius in Philoſophorum dicta inſpexerimus, percipiemus, eſſe quendam Solem mundi inviſibilem ubique verſantem, qui tantum virtute ſuperat Solem viſibilem, quantum anima corpus, aut ſpirituale materiale: Hinc quidem, ut Plato appellare ſolebat Solem cœleſtem, viſibilem Dei filium; ſic etjam ſacræ ſcripturæ dicunt, *Sapientiam* (ubique in mundo inviſibiliter verſantem ac operantem) *inviſibilem Dei emanationem*: Quare Philoſophorum ſapientiores in hanc inciderunt ſententiam; *Ex Deo* (inquiunt) *oritur aliquid proximum ei*, videlicet ipſa *Natura*, quæ eſt ignis ille inviſibilis, à quo cuncta eſſe genita docuerunt Zoroaſter & Heraclitus Epheſus: Et apud *Eccleſ.* 1. invenimus, *Sapientiam eſſe primum creatam*: Atque hæc eſt ignea illa vis, quam *Spiritus Domini*, qui eſt amor igneus, *cum ferebatur ſuper aquis*, ijſdem edidit, ſine cujus vigore nihil generari aut perdurare poteſt: Hæc eſt illa inſpiratio rebus creatis à Deo inſpirata, cum diceretur in mundi genitura *Creſcite & multiplicamini*: Hæc, inquam, Natura inviſibiliter lucida, eſt Sol ille, qui non quarto die eſt factus, ſed à primordio, cujus virtute mundus completus eſt mediante Verbo priuſquam ullus Sol viſibilis in cœlis ſtatueretur; qui tantum Soli viſibili virtute præcellit, quantum filius Dei ſpiritualis ac inviſibilis illi cœli viſibili. Ubique adeſt hic Sol ſecretus, & cuilibet vitam ſubminiſtrat, nocte dieque præſens eſt omnibus, ſine quo nihil vivere aut ſubſiſtere poteſt. Fœlix eſt ille quidem, qui iſtam Naturam detegere aut propalare poteſt; quippe cujus præſentia totius mundi myſteria revelantur. Et quidem, licet hæc Sapientiæ lux per ſe occulta ſit &

invi-

inviſibilis,attamen propter aptiſſimam radiorum ſuorum à corpore bene polito, & ad hoc optime diſpoſito receptionem per effectum apparet oculis noſtris,& per reflexionem eorum tanquam à ſpeculo bene præparato; & ad congregationem radiorum infinitorum in unicum centrum adaptato; calor excitatur tactui certiſſimus. Talis ergo eſt corporis ſolaris præ omnibus alijs corporibus ſtellaribus compoſitio; cui propter ejus ſubſtantiæ extremam puritatem & unitam politionem datum eſt ſolummodo Solis inviſibilis jubar oculis mundanis revelare; quamvis non eo plane modo quo eſt in ſua eſſentia divina: Atque,ut percipimus,vim unitam eſſe fortiorem, & ob hanc rationem radios inviſibiles ipſius Solis in aere moventes in unicum ſpeculi ardentis punctum recollectos eminus ardere aut calefacere, ſic etjam eadem ratione Solis inviſibilis radiorum ubique diſperſorum portio in corporis ſolaris centrum; tanquam in ſubjectum optime ad formam tam nobilem recipiendam diſpoſitum penetrat;& congregatione in unicum punctum ſeu centrum à meditullio primum viſibiliter illuminat mundum,& circulari ejuſdem reverberatione ubique actus & radios magis ſubtiles ac viſibiles emittit. Unde tota hæc vis male attribuitur ſoli cœleſti, quia ſenſibus ab illo percipiuntur radij lucis & calor derivari, ac non à Sapientia ubique in mundo licet inviſibiliter ob ſuam puritatem deliteſcente; quæ fons eſt luminis ſolaris ac vita cujuſque rei: Ac ſi quis diceret, ſpeculum ardens eſſe ignis & caloris originem & non ſolem. Unde liquet,quod ſolare corpus ſit quaſi inſtrumentum illud Sapientiæ, quo effectus ſuos in mundo reddit ſenſibiliores; quippe in quo radij ejus & natura lucida magis delectatur & congregatur quodammodo ad creaturas inferiores fovendas ſuo calore,ſed præcipue ad dominandum interdiu,uti dominatur Luna (quam Philoſophi vocant *oculum mundi ſiniſtrum*) cum ſtellis nocturno tempore. Propter hanc igitur tam amplam proreptionem luminis divini à fonte lucido,ſeu igneo Sapientiæ Spiritu, & tam copioſam ejus in Sole præſentiam dictum eſt,quod Dominus poſuerit tabernaculum ſuum in Sole: Et Solem cœli pro una ex præſtantioribus mundi creaturis haberi & revera eſſe agnoſcimus; quatenus rem quamlibet tantum ſibi Dei vendicare ſcimus, in quantum luminis eſt capax. Nobilitatem igitur Sol viſibilis ab illo inviſibili habet,quem Cabaliſtæ *angelum Metattron* ſeu *animam Meſſiæ*, ſeu *virtutem Tetragrammati*, (quam *mundi animam* fecerunt) & ſacræ ſcripturæ *Sapientiam*, ſeu *virtutis Dei claritatem & puram emanationem* vocant: At vero,quoniam quod facit tale eſt magis tale,ſequitur,illam ſapientiam,quæ facit virtutem luminoſam Solis,eſſe magis nobilem ac claram quam ipſum Solem. Quare,cum *orbis terrarum* (ut inquit Sapiens Sap.1.) *Spiritu ipſius impleatur*; non minus quam cœlum, cur non attribueremus harmoniam elementorum & elementatorum potius principi quam principiato, qui omni momento & inceſſanter,licet inviſibiliter,agit,& igneo ſuo amore ad generationes, corruptiones,mutationes,alterationes & circumrotationes,elementorum ac eorum,quæ ex ijs componuntur,laborat. Agnoſcimus quidem,maximam eſſe virtutem in Sole cœleſti; ſed totam illam attribuimus unicæ animæ mundi tam inviſibiliter in mundo operanti quam viſibiliter in Sole: Sic congregatione lucis & naturæ igneæ per aerem expanſæ videmus ignem & flammam terreſtrem,imo vero & fulgura & coruſcationes procreari,quæ iterum dilatatione evaneſcunt. Atque hoc quidem agnoverunt Philoſophorum ſolertiores,quando hunc jecerunt ſermonem. Nihil eſt in ipſo firmamenti circulo præter animam, quod majorem Dei ſimilitudinem præ ſe ferat, quam Sol & ejus lumen: Quibus arguere videntur, quod anima mundi inviſibilis ſit Sole aut lumine ejus longe nobilior. Et licet me hujus ſubjecti nobilitas, naturæque divinæ ſublimitas hæc filo orationis terſiori contexere perſuadebat,attamen pro more meo (nam talis eſt,fateor, ingenij mei tenuitas) hic pedeſtri ſermone incedere cogor,ut creaturæ virtutis rationem ac originem mundo explicem,quo differentiam inter Ethnicos hujus mundi idololatras,qui *cœli, exercitus*, Deo vero neglecto, venerari ſolent,& veros Chriſtianos, qui *veram Sapientiam*, *virtutemve Tetragrammati* adorant aperiam. Hic ergo eſt titulus,quem Soli viſibili attribuere poſſumus,videlicet,quod ſit ſedes viſibilis animæ mundi, ut totus ſpiritus mundanus eſt ſuæ animæ univerſalis ſedes inviſibilis,& per conſequens, quod Harmonia mundi procedat ab illa anima ſeu Natura lucida primaria, nempe Sapientia, quæ eſt actus mundi primus,& non à ſecundaria ſolummodo, niſi quatenus in illo ſuo palatio Natura ſuos effectus accelerare ſolet. Eſt enim Natura occulta quaſi flator,Sol vero quaſi Organon, & mundi præcipuum inſtrumentum, ac fiſtula per quam Harmonia ſenſibilis videtur & ab effectu percipitur, quamvis infinitis alijs utatur in his inferioribus inſtrumentis imperceptibilibus ad operationes ſuas in mundo perficiendas,uti in ſacris literis paſſim videre licet, & *in ſequentibus* latius apparebit. Sed, ut jam ad *Terræ animam* peculiarem deſcendamus, dicimus, *ejus animam* eſſe *illam ipſam, quæ eſt anima mundi,ſpirituſque Dei*,uti dictum eſt,*implens orbem*,ſeu *virtus Tetragrammati ubique verſans*. Hinc ergo dictum eſt *Pſalm* 104.32. *Terram intuente Deo contremuiſſe,attingente ipſo montes fumaſſe*. Anne hoc propter commotionem atque irradiationem animæ Terreſtris ob aliquem Planetarium aſpectum, vel immediate divina agitatione? Cum *terra aperiebat ſeſe,& Dathanem deglutiebat Pſalm*.106.17. cum *commota eſt, & tremuit*. 2. *Samuel*. 21. Cum *pluvijs inundationes paſſa eſt*,anne hæc ejus accidentia à motibus ſtellarum fuerunt,vel à ſpiritu divino,qui omnia ſuo motu fovet perturbatque? Dicitur *Iob*.9.5. quod *Deus terram commoverit ex loco ſuo,adeo ut columnæ ejus contremiſcerent,atque montes transferret*, non autem aſpectus

Planetarum,aut anima terræ excitata. Invenimus etjam,quod *Deus terræ faciem renovet.* *Pſalm.*104.30. non Sol aut cœli motus,licet hoc vulgariter dicatur. Deum itidem eſſe fertilitatis ac proventus terræ cauſam & authorem,docemur *Levit.*25.21. Et quod ſterilitas terræ accidat, quia *Deus claudit cœlum* *Deuter.* 11.17. At ipſe fortaſſe reſpondebit cum veteri illo axiomate,quod *Deus agat in ſummis cœlis ordinata ſtellæ executione:* Et quidem ego hoc idem,excogitaſſem,niſi intellexiſſem, *Thronum Iehovæ eſſe in cœlis,ſcabellum vero pedum ipſius in terra*;niſi,inquam,ex ſcripturis ſacris percepiſſem,*Spiritum Sapientiæ* ſuo actu lucido *omnia implere,& ubique adeſſe orbi terrarum Sap.*1. *Cujus* quidem *non eſt numerus Pſalm.* 147.45. Omnes mundi inferioris eventus à ſtellarum motibus dependere exiſtimaſſem, tempeſtateſque & meteora ab illis exagitari,niſi cognoviſſem ex teſtimonio *Iob.*28. quod iſta *Sapientia ab oculis omnium viventium abſcondita ſit,cujus viam ſolus Deus ſcit,quæ ventis pondus fecit,aquoſque appendit in menſura,pluvijs poſuit legem,viamque procellis ſonantibus*; niſi iſtam Sapientiam ubique præſentem Sole ac Luna omnibuſque aſtris longe potentiorem eſſe agnoviſſem;quippe *cujus virtute Iehova terram fundavit,cœloſque ſtatuit.Pſal.* 14. & cujus Eſſe eſt,ut ſit *vapor virtutis Dei*; *& emanatio claritatis ejus ſincera*, ac tum denique, *cujus imago eſt longe ſpecioſior Sole,& ſupra omnem diſpoſitionem ſtellarum. Sapient.*7. niſi ipſam cognoviſſem omni creatura antiquiorem,utpote *quæ ab æterno ordinata fuit antequam terra fieret.* Ponebat mari ſtatutum, terræ fundamenta ſtatuebat, fontes roborabat,aptabat cœlos, eoſque firmabat, ambitum in ſuperficie abyſſi ſtatuebat; niſi percepiſſem ex ſacris literis, *Deum per hanc ſuam Sapientiam nives emiſiſſe ſicut lanam, & pruinas quaſi cineres diſperſiſſe gelu ſuum tanquam fruſta dejeciſſe,& hæc ipſa ſuo verbo iterum liquefeciſſe & ſimul ac afflat ventum ſuum, fluida feciſſe* *Pſalm.*147. niſi crediſſem, inquam, nubes denſas Dei vehiculum fuiſſe, quod *itat ſuper alis venti* *Pſalm.*104.3. *easque à tentorio ejus lumen, quod luſtrat cuncta per circuitum, habuiſſe*, quo, quæ parata ſunt, illa omnia faceret ſuper orbis terrarum ſuperficie ſive ad flagellum,ſive ad beneficentiam *Iob.*37.12. niſi inveniſſem ex multis alijs Bibliorum ſanctorum locis, *Theſauros Iehovæ eſſe nivis ac nubium & tonitruorum armarium:* Crederem fortaſſe, aut ſtellas hæc omnia proferre potuiſſe,aut animam terræ ira concitatam hujuſmodi præſtare valuiſſe; Sed cur ſcrutarer hujuſmodi ſecreta naturæ ex Ariſtotelis aut aliorum opinionibus, aut terræ attribuerem myſteria tanti momenti authoritatem Ethnicorum ſequens;cum doceamur *cap.*3. *Prophetæ Baruch*, quod *non conveniat deſerere fontem omnis Sapientiæ,& in autoribus Ethnicis quærere artem & ſcientiam ac intellectum,uti faciebant Agareni,& quærant in Theman*; quippe qui veram Sapientiam nunquam agnoverunt? Ad quid fidem aliquam Ethnicis aſſignarem,qui admirabiles naturæ operationes in aſtris,tanquam agentibus,& terra, tanquam patiente ponunt, indeque emanare dicunt; & ſcripturas ſacras ſeu fontem totius Sapientię recuſarem? Anne enim,niſi Sapientia ſe nobis revelet,tempeſtatum & meteororum ac verorum cœlorum motuum rationem aliquis invenire poteſt? *Perveniſtine*,inquit Deus, *in theſauros nivis,aut in theſauros grandinis inſpectionem habes? Iob.* 38.22. *Quis diſpoſuit menſuras terræ, quandoquidem ſciens es? aut quis extendit in ea regulam? Cui rei baſes ejus dimenſæ incumbunt, aut quis jecit lapidem ejus angularem? Iob.*38.18. *Opera quidem Dei mirabilia ſunt & ampla,quæ in Sapientia fecit Pſalm.* 103.24. ad quorum cognitionem non fit aditus niſi per ipſam Sapientiam, quæ ea fecit: Sapienti enim non mundano,ſed Theoſophico data eſt cognitio certa inſtitutionis mundi, virtutum elementorum, principij, medij atque finis temporum,mutationum,Solſtitiorum,varietatum temporum & tempeſtatum, anni circuitus,ſtellarum ſituum,naturarum animantium, irarum ferarum, ventorum virium, hominum cogitationum,differentiarum plantarum,& radicum facultatum; denique occulta ei virtute acquiſitiones hujus revelantur *Sapient.*7.*a.*17. Hæc ergo eſt vera fontis ſacri ſtella, cujus *domus ſeptem columnis* ſtatuminatur; hæc ſeptem veri Planetæ; quorum obſervatione & præſentia Aſtrologia vera elicitur,adulterina autem in oblivionem ſempiternam relegatur; hæc vera Harmoniæ mundanæ anima aſſidue chordas proportionum concordantium aut diſcordantium pro merito ſubjecti pulſans; hæc eſt illa ipſa,quæ vertit cœlos,& Planetas ducit,animamque tardam vel velocem ijs inſpirat pro ſuo velle;qua vacante à ſuo officio *Sol & Luna ſubſtiterunt in medio cœli nec deproperaverunt ad occaſum ſpatio unius dici. Ioſ.*18. Hujus motu retrogrado *retrogreſſus eſt Sol,cum tempore Ezechiæ umbra horologij per* 10 *gradus fuit retrotracta.* Quid igitur ſciunt aut Ethnici aut ipſorum diſcipuli, quibus Sapientia iſta eſt incognita? cum,teſte Propheta Regio *Pſalm.*92.7. *Opera Dei vir brutus & ſtultus non intelligat.* Et *Pſal.* 88.13. *Opera Dei in tenebris cognoſci non poſſunt.* Quare Sapientiæ ſplendoris præſentia requiritur,ut per ipſum illuminemur;ſine quo,teſte *Iob.*5.9. *operum magnorum Dei non eſt inveſtigatio*, adeo mirabilia ſunt & innumera: Sic *Iob.*43.3.& *Pſalm.*136.6. invenimus,quod *opera Dei mirabilia ſint & ſupra hominis captum*; Et de nubium myſterijs dicitur *Iob.*37.15. *Opera mirabilia Dei perfecti ſcientijs de libramentis denſæ nubis quis cognoſcit?* Eſt ſapientia divina, ad quam recurrere debemus pro verorum Naturæ arcanorum cognitione, & non ſapientia humana,quæ ſtolida eſt & opinionibus vanis infecta: Quare opus eſt aſſiſtentia Spiritus divini, *qui docet omnia Pſalm.*143.7. qui quidem Spiritus eſt ipſa Sapientia,quæ de ſe ſic loquitur: *Ego Sapientia adhæreo aſtutiæ,& ſcientiam ſummæ ſolertiæ præſentem habeo. Proverb.* 8.13. Hic quidem ſpiritus eſt artis veræ Doctor; *quo docemur Exod.* 28.3. *&* 31.*a.*2. *&* 35.*a* 30. Nam *docti & ſapientes hujus mundi ſunt inſipientes coram Deo. Matth.* 11.25. Qui igitur veram Sapien-

tiam

tiam acquiſiverint, *his ipſa ſcientiam & cognitionem intelligentiæ profundit velut imbrem, eoſque gloria exaltat, Eccleſiaſtici* 1.18. Hunc *ſpiritum mittit Deus è locis altiſſimis, ut det intelligentiam hominibus, quo noſcant conſilia & opera ejus arcana. Sapient.*9.17. Unde *Proverb.* 30.1. *Sapientia* dicitur *ſanctorum ſcientia*: Atque hæc eſt ratio, quod æſtimatur *ipſa Carbunculis pretioſior. Proverb.* 3. Nec *dabitur aurum pro illa, nec ponderabitur argento pretium ejus, nec lapides pretioſi. Iob.*28. Unde quidem maxima eſt hominum inſania, tanta naturæ ſecreta operaque Dei admiranda ſine Spiritu ejus ſpeculari, multoque magis, jactitare, ſe ea planè intelligere, & vulgari Geometria demonſtrare, harmoniamque operum ejus mirabilium, qualia ſunt ſtellarum poſitiones & motuum rationes, tam exacte intelligere, ut etjam cæterorum Authorum antiquorum ſcripta quibus veritatis viſio apparuit, condemnare non vereantur, quo ſuis inventionibus faciem ſplendidiorem imponant. Ad me quod attinet, hoc mihi quidem ſufficit, ut Deum ſtellis propinquiorem eſſe ſciam, qui ſtellis imperat, & cujus ſpiritus, ubi vult, ſpirat, ſine ullo ſtellarum impedimento, aut evidenti radiationum earum obſtaculo: Scio, inquam, ipſum eſſe terræ propinquiorem quam ſtellas, atque ejus ſapientiam, qui omnia, prout vult, gubernat, omnibus præſentem; quam qui obtinebit verus equidem ille erit talis Aſtronomiæ utriuſque magiſter: ſine cujus præſentia omnes Aſtrologi ſunt cœci. Hic enim aſtris dominabitur, quippe qui ab altiori principio gubernatur, quod ſtellas & ipſa elementa ſibi ſubjecta reddidit, & in omnia dominium, tanquam verus cœlorum imperator, uſque ad ultimum pereat poſſidebit: Nam, ut *per ipſum omnia facta ſunt*, ſic etjam omnia per ipſum transfigurabuntur. Sic quidem hæc eſt illa vera Sapientia, *quæ eſt, fuit, erit*, & *quæ regnat, regnavit ac regnabit in ſeculum.* Concludimus igitur, quod hoc ejus Harmoniæ mundanæ fundamentum ſit merum figmentum, ac nullo modo à Chriſtianis approbandum, aut æſtimandum.

Ad ſecundam itaque Muſices ejus ſpeciem perveniamus, quam ut ad ſuæ intentionis metam dirigat, primum terram ſidus facit, & circa Solem immobilem moventem: Pro Authoribus, qui ſuam partem ſtatuminent, habet Ariſtarchum Samium Pythagoricum, Copernicum, Tychonem Braheum; de quibus *lib.* 2.*prop.* 25. & *lib.* 5.*cap.* 3. Contra ſe habet fere omnes in Aſtrologia & naturali philoſophia verſatos, præter eos, qui imaginaria Magnetis opinione ducti, ipſam terram ſuper polis Magneticis verti imaginantur. Ptolomæi ſectatores reijciuntur, atque ipſi ſimul has inventiones reijciunt, & pro nugis habent. Hermes Triſmegiſtus, Plato, & Ariſtoteles terram immobilem & mundi centrum poſuerunt, illudque fecerunt immobile, & quietis locum: Nemo etjam vel Veterum vel recentiorum unquam dubitavit, an ſol eſſet mobilis, terrave immobilis. At falluntur omnes, qui, novo experimento docti, terram eſſe ſtellam, atque circa ſolem immobilem inter orbem Martis & Veneris movere affirmant, ut Copernicus & Kepplerus: Etenim experientia in formati invenimus, calculationes ſecundum Ptolomæi doctrinam à veritatis meta ſeu tramite non multum aberraſſe. Oracula ergo ſacra adeamus, ut ipſorum ſententias hac in cauſa diligenter inquiramus. Primum quærimus, quomodo ſit poſſibile, ut Sol immobilis ſit motus fons, cum illud ſit unicum attributum Dei, ut omnia moveat ipſe manens immobilis? Secundo, quomodo Sol poſſit eſſe motus fons, juxta ipſum *cap.* 9. *Axiom.* 4. *libr.* 5. niſi per Solem intelligat ipſam Dei Sapientiam, quæ *ſola eſt omnibus mobilibus mobilior & velocior. Sap.*7.

Abſit autem nobis Chriſtianis ut creaturæ Dei attributum adſcribamus. Si etjam ſidus eſt terra in cœlo mobilis, unicum ſolummodo erit cœlum, in quo corpus telluris pariter cum corporibus Planetarum moveat: Hoc autem ſi ita eſt, cur dixit Moyſes *Deuternom.* 10. 14. *Cœli cœlorum ſunt Dei Deorum*; Et *Nehemiah.* 1. 7. *Cœlos cœlorum fecit Iehova, & omnem exercitum eorum; terram & quicquid in ea eſt &c.* Aut ſi terra movet circa centrum Solis, motumque habet à Sole, qui fons eſt motus, quid fecit eadem illa terra tertio die creata ante Solis in cœlo poſitionem? anne quievit, aut ſi movit, à quo fonte accepit talem motum, aut circa quod centrum fixum, & cujus corporis regularis proportione motum ſuum fecit, aut cum qua ſtella in conſenſu harmonico reſonuit? Sane arduum eſt reſpondere, quatenus Sol & ſtellæ nondum extiterunt: Sed reſpondebit fortaſſe, Solem fuiſſe radiorum lucis per vaſtam cœli cavitatem diſperſorum congregationem, & per conſequens, terram movere potuiſſe virtute illius actus: At vero replicamus, quod neceſſe ſit, ut hujuſmodi motus eſſet extra harmoniæ proportionem; quia deeſt ei certum centrum circa quod moveat, atque etjam alia conſonantia, quam proportione reſpiciat. Simili etjam ratione dicimus, quod, ſi mundi harmonia dependeat à motibus Planetarum diurnis, ſequatur, ante ſtellarum in cœlo poſitionem nullam fuiſſe in mundo harmoniam, qui completus fuit die tertio: Et tamen agnoſcunt ſacræ ſcripturæ harmoniam, quam Sapientia ſeu Verbum poſuerit in mundo ante ſtellarum creationem, quippe *quæ fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura Iob.* 28. *Aptavit & firmavit cœlos, ſtatuit ambitum in ſuperficie abyſſi, fortificavit ſuperiores nubes ſuperne, roboravit fontes, poſuit mari ſtatutum ſuum. Proverbior. vigeſimoſecundo, Diſpoſuit menſuras terræ, & extendit in eam regulam, eamque diſpoſuit ſuper nihilum Iob. vigeſimoſexto, verſ. ſeptimo, Lapidem ejus angularem faberrime jecit, Aquilonem extendit ſuper mare, & fecit cœlum gyrare ſuper polum Aquilonarem Iob. trigeſimo octavo, verſ. quarto.*

Hæc quidem eſt exactiſſima naturæ Harmonia, quam Deus in creatione materiæ mundanæ, ejuſdemque compagibus adminiſtravit; Hæc eſt hodierna illa harmonia, qua partes mundi in creatione ita concatenantur, & ſemper in conſenſu eodem conſervantur. Sed dicet ille forſitan, quod motus circularis non fuerit in cœlo illa tempeſtate, nec aliqua in eo harmonia. At hoc etjam eſt falſiſſimum: Nam, inquit Sapientia, *ego rotunditatem cœlorum circumivi ſola* (hoc eſt, ſine ſtellarum ope aut præſentia) *& in profunditate abyſſorum ambulavi, in fluctibus maris, & in tota terra. Eccleſiaſtici* 24. Sic itaque in harmonia ſua ſtatuit hic igneus amor cœlos illo tempore. Quis etjam dubitabit, quin ipſa Sapientia vices ſtellarum perfecerit in cœlis atque in terris ante ſtellarum in cœlo poſitionem? Et anne probabile videtur, quod hæc Tetragrammati virtus, hæc unica rerum omnium vita quieſcat & otioſa ſit poſt ſtellarum creationem; quæ eſt verus quidem motus fons omni mobili mobilior? Imo vero hæc eſt illa lux divina, quam per pyramidem meam formalem ſignificavi, quæ inæqualiter materiæ mundanæ inerat, quamque amplexa eſt materia, plus vel minus ſecundum majorem vel minorem ſuam dignitatem, cujus radijs per ſe inviſibilibus mundus repletur, ſine quibus materia mundana in nihilum redigeretur. Quod vero ad terræ mobilitatem attinet, Soliſve immobilitatem, quatenus hoc omnino verbis expreſſiſſimis negare videntur ſcripturæ ſacræ, rationem nullam video, cur huic Copernici aut diſcipuli ejus Keppleri ſententiæ adhæreamus, cum ſcripturæ ſint totius veritatis fons & origo. Ad terræ autem naturam in mobilitate aut firmitate quod attinet, legimus *Pſalm.* 104. 5. quod *Iehova terram ſuper baſes ſuas fundaverit, ne dimoveretur in ſeculum vel perpetuum.* Similiter de Solis proprietate, quem ipſi immobilem dixerunt, in hæc verba loquitur *Pſalm.* 19. 5. *Ipſe Sol tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo exultavit ut gygas ad currendam viam; ab extremo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad extremum ejus.* Similiter *Pſalm.* 104. 19. dicitur, quod *Sol cognoſcat occaſum ſuum*; Et *Pſalm.* 113. *Et de ortu Solis &c. Pſalm.* 104. 22. *Interdicente Deo Soli, non oritur. Iob.* 28. 10. Et Ioſua 10. 13. nobis tradidit, *Solem & Lunam ſtetiſſe in medio cœlo quaſi per integrum diem:* Similiter invenimus, quod tempore Regis Hezekiæ *Deus Solem fecerit retrogredi*; quippe *umbra horologij per* 10. *gradus fuit retrotracta*: Porro etjam in *Eccleſiaſticis* 1. 4. ubi tam de terra quam de Sole agitur; hujuſmodi ſermonem accipimus; *Generatio præterit & generatio advenit; terra autem in æternum ſtat; oritur Sol & occidit, ac in locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem; & flectitur ad Aquilonem, luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur.* Quid igitur planius eſſe poteſt ad probandum, terram quieſcere, Solem autem movere? Quid? an putat Joannes, Prophetas in ſecretis & myſticis cœlorum motibus fuiſſe ignaros, aut quod temporum & motuum Planetarum calculatio ijs fuerit abſcondita, ut differentiam inter mobilitatem & immobilitatem Solis ac terræ ignorarent? Sane docemur 1. *Chron.* 12. 32. quod *è tribu Iſſacharis fuerint noſcentes ſcitu tempora, quo docerent Iſraelitas, quid eſſet faciendum*; hoc eſt, ut horas & dies electionis præſcriberent illis: Et *Eſther* 1. 13. *Quapropter dicente rege ſapientibus & noſcentibus tempora &c.* Ex quibus videre licet, quod, ſi iſti Aſtronomi periti ætatis illius cognoviſſent tale motuum myſterium, procul dubio tantus in Biblijs divinis non irrepſiſſet error.

Quod denique ad intervalla attinet proportionem quinque regularium habentia corporum, quibus orbius unius Planetæ ab alio diſtet, videtur quidem hæc ejus dimenſionum ratio ab harmonia vera, mundi longiſſime diſtare, quoniam ante Planetarum creationem mundus harmoniam ſuam completam habuit, uti *ſupra* declaratum eſt: Dicimuſque non eſſe materialem proportionem, ſed formalem, quæ facit phyſicam harmoniæ mundanæ dimenſionem: Nam eſt equidem ſpiritus divinus, qui Planetas varia actionum proportione movet atque impellit tam motu naturali, quam artificiali; etiamſi motum naturalem diximus fieri magis per reſiſtentiam corporis, & reactionem, quam mero motu ſpirituali, unde tardior eſt. Quod autem ſpiritus Planetam moveat, dictum eſt *ſupra Eccleſiaſtici* 1. *Luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus &c.* Sed quid amplius dicam? Ipſi Philoſophi, quos pro corporum iſtorum inventione citare videtur, ejus opinioni nullo modo aſtipulantur, cum ipſi horum 5. corporum uſus ad quinque mundi elementa convertant, hic vero ad Planetas, & eorum diſtantias. Quam debilia ergo ſint Authoris Harmoniæ mundanæ fundamenta videtis, & quam à teſtimonio Bibliorum remota: Et tamen ipſe in verba hujuſmodi erumpere haud dubitavit, *Prop.* 25. *lib.* 2. *Nihil plauſibilius videri potuit, quam ſex illorum cœleſtium orbium intervalla quinque ex quinque figuris eſſe deſumpta à Creatore, hoc ordine, ut Cubus mente concipiatur inter orbes Saturni & Iovis &c.* Hanc, inquam, fictionem ſuam creatori fabricæ attribuit ignorans, quam ſit res difficilis, ſecreta talia cœli invenire ſine adjumento ſpiritus divini. Hinc dicitur *Iob.* 38. 37. *Cœlorum rationem quis enarrabit? &c.* Nam juxta illud, *Sap.* 9. 15. *propter animæ aggravationem in corpore infeſto vix conijcimus ea quæ in terra ſunt; quæ autem in cœlis ſunt, quis perveſtigabit, & conſilium Dei, quis noverit niſi Deus dederit Sapientiam & miſerit ſpiritum ſuum è ſanctis cœlis?* Hinc igitur videre licet, demonſtrationes illas Aſtronomicas, atq; unitates ejus Geometriæ, ſimulatq; ejus harmoniæ mundanæ uſq; ad intervalla maxime concinna, & quaſi numeros quam minutiſſime ruptos eſſe valde inſtabiles & potius opinione publicatas, quam rei veritate confirmatas.

Quid n. de vana Aſtrologia verba multa faciemus quã Picus Mirandula, in omni genere doctrinę fami-

famigeratus, temporibus præteritis ita enervavit? *Dic mihi, quid omnia in cœlum refers Aſtrologe vera ſapientia deſtitute? Quid de naturis aſtrorum ac ſignorum, & de motibus Planetarum, atque abſtruſiſſimo Harmoniæ mundanæ inde orientis myſterio comminiſceris, qui nullo pacto ne minimæ cujuſdam rei terrenæ vires & proprietatem augurari potes? Quid ſydera & ſtellas, earumque motum obſervas, aut potius mentiris, qui ne quidem terreum aliquod corpuſculum menſione complecteris? Quid magis ridiculum, quid abſurdius quam figuras cœli octavi, ex multivaga ſtellarum applicatione ſorte deprehendere? Quid virtutis egregiæ habere credis hujuſmodi imagines imaginatas? Quid triplicitates, gradus fumoſi, lucidi, vacui, Maſculini cum fœmininis; quid harmoniæ aut eventus ſtupendi ſecum ferunt ſyderum eorum aſpectus? & cætera id genus ſtulta inania, quid veritatis aut virtutis præ ſe ferunt? Licet hujuſmodi motus, & naturæ ſtellarum, variæque rerum inter ſe adaptationes videantur habere aliquid ſignificationis; mihi tamen ita perſuaſi, hominem non poſſe ea probe dignoſcere, niſi miraculo quodam illi cœlitus oſtendantur, ut in loco Sapientiæ declaratum eſt. Porphyrius vane dixit, quod, ſi quis figuram nativitatis cognoſceret, Dominumque figuræ, inveniret Dæmonem ſeu genium ſuum & per ipſum ſolveretur à fato nativitatis: Sed, ſubdit, impoſſibile eſſe ſcire illam, & hunc invenire, quia regulæ Aſtronomiæ & Aſtrologiæ ſint incomprehenſibiles & incertæ. At Iamblicus dicit, Dæmonem neque cognoſci neque dari ab illa figura & Dæmonio ejus, alioqui non ſolveret nos à fato nativitatis, ſed dari ab antiquiori principio & altiori, hoc eſt, à ſpiritu Deorum; aſſeritque ex Porphyrij ſententia, innumerabiles circumferri Aſtrologiæ regulas dubitationeſque de geneſi. Unde apparet, ſcientiam de his haberi non poſſe: Quare veritatem certiſſimam circa ſtellas ſolummodo per divinum vaticinium haberi poſſe credit, hoc eſt, quod à ſapientiæ ſpiritu detur hominibus; quo habito, nos omnino regularum dinumeratione & artificioſis prædictionibus non indigere: inſuperque addit impoſſibile eſſe, ut homo inde notitiam, quantum ad mathematicam ſcientiam attinet, demonſtret, quoniam diverſæ inter nos feruntur opiniones aliæ aliis contradicentes. Sic enim in omni ſcientia ac arte propter diſſidentes opiniones dicere cogeremur, nullam eſſe ſcientiam: Hæc ille:* De quibus ego abunde *Tract. meo de Geneth-liac. lib.* 13. egi. Hinc ſcientiarum mathematicarum vanitas propter corruptionem apparet. Divus Hieronymus etjam Aſtrologos & Genethliacos ita deridet: *Hi ſunt qui elevant ſe adverſus ſcientiam Dei, & omne, quod geritur in mundo, fictam ſibi ſcientiam pollicentes, referunt ad ortus & occubitus ſtellarum: Hi ſunt qui vulgo appellantur Mathematici, & ex aſtrorum curſu lapſuque ſiderum res humanas regi arbitrantur, &, cum ſalutem aliis promittebant, ſua ignorabant ſupplicia. Hæc Hieronymus.* Sed verbo, obſecro, attendamus ad ſermonem Prophetæ Danielis docentis, quam ſit frivolum abſente ſapientia aſtrologizare, *cap.* 2. 27. *Myſterium, quod rex interrogat, Sapientes, Magi, Arioli, & Aruſpices nequeunt indicare regi; ſed eſt Deus in cœlo revelans myſteria, qui indicabit tibi, &c.* Hoc etjam ipſi Ethnici Ægyptij faſſi ſunt, juxta illud *Geneſ.* 41. 38. *Accerſiverunt omnes Magos AEgypti, & omnes Sapientes ejus &c. Et non erat, qui interpretaretur ſomnium Pharaoni.* Tunc ſequitur; *Annon Dei ſunt interpretationes? Geneſ.* 40. 8. *An invenire poſſumus huic* (Joſepho ſcilicet) *ſimilem virum, in quo Spiritus Deorum ſit. Geneſ.* 41. 38. *Quandoquidem nota fecerunt tibi Dij omnia, ac nemo eſt prudens & ſapiens ſicut tu. Geneſ.* 41. 39. Et *Exod.* 8. Quando Moyſes præcellebat Magis in pediculorum productione, faſſi ſunt ipſi Magi hiſce verbis; *Digitus Deus eſt hic.* Hinc inquit Sapiens *loco ſuperius allegato; Quæ ſunt in cœlo quis inveſtigabit, & conſilia Dei quis noverit? niſi Deus dederit ſapientiam & miſerit ſpiritum ſuum è locis altiſſimis* Quis etjam ex propria natura, ita ſapit mente, qui dimenſionibus Geometricis & identitate linearum poſſit invenire rationem, quomodo terra ſuſpendatur ſuper nihilum, aut dimenſionem lapidis angularis; quem creator jecit ad terræ fundationem? aut qua dimenſione uſus eſt *Deus cum pondus fecit ventis, & aquas appendit in menſura, poſuitque pluvijs legem, & viam procellis ſonantibus?* At vero hæc intelligit Sapientia *Iob.* 28. 25. *Nunquid*, inquit Deus, *conſideraſti uſque ad latitudines terræ? Indica, ſi noſti totam illam Iob.* 38. 18. Anne putat Joannes hujuſmodi harmoniam ad normam corporum regularium factam fuiſſe à Creatore, aut lineis ſuis quantitativis conflatam? Minime vero gentium; ſed virtute inviſibili divinitate pleniſſima; cum certum ſit, harmoniam mundanam, imo vero & univerſum mundum alis Sapientiæ ſuſtentari, ſine cujus Geometria divina ne momentum quidem in ſuo ſtatu perdurare poſſet. Non jactet igitur Joannes de ſe, aut de ſua Harmonia Aſtronomica, nec putet regulas ullas certas in Aſtrologia vel Aſtronomia verſari, quæ corruptione opinionum non contaminentur. Concludimus itaque quod, ubi fundamenta ſunt debilia in ſabuloſam terram jacta & à veritate diſſentanea, ibi impoſſibile ſit, quin ædificium integrum vento pluvijſque diſſipetur.

* * *

Teſtimo-

Teſtimonia tam Philoſophica, quam Theologica Harmoniam noſtram Mundanam ſtatuminantia.

INprimis ſuppoſui ad Macrocoſmi mei fabricam duo contraria, *Tenebras* videlicet *& Lucem*, & quod deformes tenebræ fuerint in potentia divina ante mundi fabricam: At vero quoniam tenebrarum officium erat deformare & obtenebrare, uti illud lucis efformare & illuminare, ideo dixi, hæc duo principia eſſe natura contraria; quatenus Tenebrarum ſeu materiæ deformis comes potentialis erat frigus, gravitas, & quies; Lucis vero ſocius & effectus Calor, motus, & levitas: Nam ſic etjam & potentia divina dicitur contraria ſuo actui, eo quod occultatur, inviſibilis eſt, quieſcit, & quo ad nos nihil eſt, quatenus omnia deformat ſua abſentia; at vero actus divinus omnimodo in illis ab ejus potentia quoad nos differt, quatenus per eum, & in eo Deus revelatur mundo, omnia faciens viſibilia ex nihilo. Nam ſua præſentia omnia informat. Hinc, ut Deus potentia ſua divina ad occultationem Majeſtatis ſuæ contraxit radios ſuos in ſe, unde omnia fuerunt deformia & tenebris obruta; ita quidem ad ſuam revelationem dilatavit ſe, tenebræque ad extremum peripheriæ meditullium à lucida ejus præſentia; hoc eſt, à ſummo cœlorum cacumine deorſum ad imum eorum centrum propulſantur. Radices igitur ſeu baſes utriuſque pyramidis meæ Phyſicæ ſunt per Deum, à Deo & ad Deum; videlicet materia tenebroſa à divina potentia, quæ ſemel depurata ad Deum aſcendit, & quo magis ſurſum tendit, eo magis gradatim magiſque de luce participat. Pro confirmatione hujus noſtræ opinionis habemus non modo Philoſophorum ſummæ divinitatis compotum, verum etjam ipſarum ſacrarum ſcripturarum teſtimonia. Nam Mercur. Triſmegiſtus dicit *Pimand. 3. Vmbra infinita in abyſſo; aqua autem & ſpiritus tenuis in Chaos inerant: Floruit autem ſplendor ſanctus, qui ſub arena & humida natura elementa deduxit; Cumque indiſtincta fuiſſent, levia poſtmodum in excelſam regionem provolarunt, gravia ſub arena humida reſederunt.* Ubi agnoſcere videtur, aquam & ſpiritum tenuem potentialiter infuiſſe tenebris, & quod gravia tenebris ſubmerſa, (hoc eſt, Terra) apparitione ſplendoris divini reſederint ſub humida arena, hoc eſt, in centro. Porro etjam ille ipſe *Serm. primo Pimand. Mens divinæ potentiæ in principio mutavit formam, & univerſa ſubito revelavit*; hoc eſt, de mente divinæ potentiæ facta eſt mens in divino actu, id eſt, de latente factus eſt Deus patens, & de Aleph tenebroſo in Aleph lucidum migravit: Unde ſequitur; *Cernebam enim immenſum quoddam ſpectaculum, omnia videlicet in lumen converſa ſuave nimium atque jucundum; quod intuentem me mirifice oblectabat.* (Hic eſt ergo verus Tetrahedri ſeu ignis & lucis univerſalis ſymbolum ſecundum Pythagoreorum & Platonicorum ſententiam, editus ex Cubo ſeu Chaos.) Tunc ſic pergit; *Paulo poſt umbra quædam horrenda obliqua revolutione ſubterlabebatur, in humidamque naturam migrabat ineffabili tunc vultu exagitatam.* Hic ergo aqua ſeparatur à deformitate tenebrarum, ſecundaque rerum omnium materia prodit in lucem: Unde dixit ille *Pimand. quinto. Cantabo ne laudes tuas in ijs quæ in lucem è tenebris eruiſti, an in ijs, quæ latent adhuc arcano ſinu recondita?* hoc eſt, in aqua jam inactuata, vel quæ adhuc in divina potentia & Hyle ventre deformato more abſconduntur. Tunc deſcendit, & ſic pergit à radicibus duabus, nempe luce & aqua creatis ad quadratum ſeu quatuor elementa, dicens; *Verum Verbum naturæ humidæ aſtans* (hic unionem Verbi cum aquis denotat) *eam fovebat; ex humidæ autem naturæ viſceribus ſincerus ac levis ignis protinus evolans, alta petit* (& *Geneſ. 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:*) *Aer quoque levis ſpiritu parens mediam regionem inter ignem & aquam ſortiebatur: Terra vero & aqua ſic invicem commiſtæ jacebant, ut terræ facies aquis obruta nuſquam pateret.* Hæc ille. Unde patet myſterium verum quinque corporum regularium. Ex aqua enim univerſali deformi (de qua, & per quam poſt depurationem & informationem ejus, teſte D. Petro. 2. *Epiſtol.* 3. 6. *Cœli erant prius & terra, conſiſtens Verbo Dei*) ſeu ex ejus viſceribus ſincerus ac levis ignis exilijt; tum deinceps aer medio loco apparuit inter aquam ſpiſſam ſeu ſublunarem & ignem; terra vero & aqua ita commixtæ fuerunt, ut aqua groſſa cum ſubtili, vel fæx cum puriori ſubſtantia. Videmus igitur, quod hic habeamus tria pro radice; videlicet *Dei potentiam*, quæ ſunt tenebræ; *Dei actum*, qui eſt lux, *& aquas in actum reductas*, ſive potentiam in actum reductam, ſeu aquas creatas, ſive aquas luce mixtas; quæ mixtio creata eſt à dualitate, in unitate increata conſiſtente; Atque in his conſiſtit harmonia illa mundi primaria, ad cujus exemplar mundus poſtea eſt completus; cujus proportio eſt ut 1. ad 2. & 2. ad 3. & 3. ad 4. Nam 3. reflectens in 1. repræſentat numerum quaternarium; quo quidem in numero literæ, Tetragrammati quam exactiſſime reperiuntur: Reliquæ autem conſonantiæ, quæ ad exemplar harum proportionum concurrunt ad Harmonicam mundi diſpoſitionem, ſunt ex his compoſitæ, ſi rem exacte conſideremus; ut Diſdiapaſon, Diapente cum Diapaſon, Diapaſon cum Diateſſaron &c. De quibus Harmoniæ divinæ conſonantijs in *libello* noſtro *de Numeris divinis* luculenter diſceptavimus. Teſtimonia autem ſatis valida ex multis ſacrarum ſcripturarum locis ad hæc ſtructuræ

noſtræ

noſtræ Harmoniæ mundanæ fundamenta ſeu baſes ſtatuminandas habemus: Nam primo loco ad confirmandam mundi Materiam primam potentialem ſeu tenebras deformes, ſeu umbras horrendas vel lethales, ex quibus virtute Verbi lucidi aquas mundi fundamenta revelavit & in lucem produxit Creator; apud *Geneſ.* 1. invenimus; quod *terra fuerit inanis, vacua*, ſeu *deſolata*; hoc eſt, nulla inerat lux actualiter in tenebris eas informans, ſed deſtitutæ erant omni actuali Dei præſentia. At vero è converſo, poſteaquam hæc terra die tertio creata fuit, & actu Dei repleta, dictum eſt *ibidem verſ.* 10. *Et vidit, quod eſſet bonum*; hoc eſt, participavit cum bonitate & actu divino, ſine quo nihil bonum eſt, & omnia vacua ac deſolata dicuntur. Unde terræ iſtius creatæ, hoc eſt, inactuatæ fertilitas in herbarum virentium germinatione, & ſeminum productione, ratione virtutis divinæ, quam jam poſſidebat, ſequebatur. Porro etjam in *principio ejuſdem* ſequitur; *Et tenebræ fuerunt ſuper faciem abyſſi*; hoc eſt, aquæ omnes potentiales, quas *abyſſum* vocat (quæ fuerunt ſubjectum materiale mundi) præſentia tenebrarum quieſcebant, & in eodem ſtatu potentiali manebant, priuſquam patefactione & manifeſtatione ſeu revelatione Spiritus *Elohim* lucidi in actum producebantur, & ex nihilo aliquid fiebant. Unde ſequitur; *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: Atque tum dixit Dominus, *Fiat lux*, hoc eſt, tingantur & informentur aquæ luce divina: Qui aquæ ſpiritus ita tinctus poſtea dictus eſt *lux creata*: Nam hæc eſt mixtio lucis cum aqua creata ſeu creatura, cui forma dedit nomen & Eſſe lucis ſeu Spiritus Empyrei. At vero lux in ſua natura abſque reſpectu materiæ eſt mere Spiritus igneus, divina Elohim ſoboles, ſeu prima & immediata emanatio ab ipſo lucis fonte. Atque hinc dixit Mercurius Triſmegiſtus *loco ſuperius allegato*: *Verbum naturæ humidæ aſtans eam fovebat &c.* Et *Serm.* 3. *Floruit autem ſplendor ſanctus &c.* Et D. Petrus 2. *Epiſt.* 3. 6. *Cœli erant & terra de aqua, & per aquam, conſiſtentes Verbo Dei*; hoc eſt, aqua, ex qua omnia facta ſunt, informabatur præſentia Spiritus divini, ſeu Verbi Dei, ſeu Sapientiæ. Et, ut forma cuilibet creaturæ permiſcetur, ut exiſtat, ſic etjam lux divina ineſt in qualibet compagine, ne vacuum in ea extet; nam ſine ea ne momentum temporis ſubſiſtere poſſet. Hæc, inquam, erat lux illa, Sapientia præclara & ſumma, quam, teſte Sapiente, *Proverb.* 8. *Jehova poſſidebat in principio viæ ſuæ ante opera ſua; ante ullum tempus, ante ſeculum ipſa inuncta fuit, ante principium, ante primordia terræ, cum nullæ eſſent abyſſi; cum aptaret cœlos, ibi erat; cum ſtatueret ambitum in ſuperficie abyſſi, cum fortificaret ſuperiores nubes supernè, quando roborabat fontes abyſſi, quando ponebat mari ſtatutum ſuum, cum ſtatueret fundamenta terræ, erat hæc lux apud patrem velut alumnus, ſeu cuncta componens*: Hæc erat ipſa, *quæ firmavit cœlos, fecit ventis pondus, aquas appendit in menſura* Iob. 28. *Diſpoſuit menſuras terræ, extendit in ea regulam, jecit lapidem ejus angularem* Job. 38. 4. *Extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihil: Terminum circumdedit aquis, uſque dum firmantur ſeu finiuntur lux & tenebræ Iob.* 26. Hujus lucis increatæ mirabilia quis enarrare poteſt, quis ejus virtutem lingua exprimere, *per quam omnia facta ſunt, & ſine qua nihil factum eſt*; quippe in qua eſt vita rerum omnium? Et hoc eſt illud Verbum unicum *Fiat*, in tenebris occultatum ante mundi creationem: Nam licet à patre effluxerit, in patrem tamen etjam eſt reverſum, juxta illud Mercur. Triſmegiſti: *Monas generat Monadem, & in ſe ipſam reflexit ardorem ſuum.* At cum mundum in hyles gremio fabricare ſtatueret ſecreto ſuo conſilio, revelavit Deus formam ſuam, Verbumque jam factum prodijt; cujus virtute aquæ apparebant, & viſibiles fiebant, atque in proportiones diſtinguebantur varias. At, ſi hæc legentibus non ſufficiunt, quatenus multi (ſcio) dixerunt, me in errorem egregium incidiſſe, quod materiam primam informem, hoc eſt, increatam affirmaverim, teſtimonia adhuc evidentiora meæ ſententiæ mentē confirmantia proferam, probantia ſcilicet, quòd aquea mundi fundamenta ab hyles ac Chaos ventre exilierint virtute lucis divinæ: Nam primum in *Iob.* 12. 22. hæc invenimus; *Qui revelat profunda è tenebris, & eduxit in lucem umbram lethalem.* Hic per *revelationem* intelligit creationem; per *profunda* intelligit aquas ſeu abyſſum informatam, & per *umbram lethalem* intelligit terram inanem, deſolatam, & vacuam; quæ lethalis dicitur, quoniam anima erat vacua, quæ jam viva eſt facta. Sic itaque ex hoc loco percipimus, ipſum cœlum & terram à tenebris primarijs, ſeu hyles gremio exilijſſe. Iterum legimus ita; *Sapient.* 11. 18. *Mundum ex informi materia effecit Deus*, vid. juxta Pagniani translationem, vel ſecundum Tremellium, *creavit*, vel juxta Hieronymi interpretationem, *ex inviſà materia.* Hic equidem omne totius creationis myſterium aperte declaratur; Primo nimirum, quod *materia prima*, ex qua mundus creatus eſt, fuerit *materia increata* ſeu informata; quæ, quatenus informis, dicitur *nihil*, quoniam non in actu; Et per conſequens quod tenebræ fuerint quaſi mater, ex cujus ventre mundus, hoc eſt, aqua univerſa prodijt: Quomodo autem Deus in tenebris ſeſe habuerit, declaravimus abunde. Sic etjam 1. *Chronic.* 6. 1. & 1. *Reg.* 8. 12. narravit Jehova, *ſe habitare ſub caligine.* Et *Pſalm.* 18. 11. *Fecit tenebras locum ſuum ſecretum, tabernaculumque ſuum in aquis obſcuris poſuit, nubibuſque denſis obvelavit*: Similiter *Pſalm.* 97. 2. *Tenebræ & nubes ſunt circa ipſum.* Et *Pſalm.* 104. *Denſæ nubes vehiculum Dei*; Et *Pſalm.* 105. 39. *Nubem expandit Deus pro tegumento*; Atque *Iob.* 22. 15. *Nubes denſæ latibulum Dei ſunt.* Et quamvis hæc non videantur in omnibus hiſce locis accipi pro tenebris primordialibus, quæ ſuper faciem abyſſi erant; attamen, qui me recte capit, intelliget, eandem eſſe rationem in occultatione DEI in tenebris primordialibus, ac revelatio-

velatione ex ijſdem virtute ſpiritus ſui ignei, quæ in mundo poſt creationem: Porro etjam, ſecundum illud Mercurij Triſmegiſti dictum ſupra allegatum, *Subito mutavit formam ſuam, & omnia converſa ſunt in lumen nimium jucundum*; Et, *Paulo poſt umbra horrenda obliqua revolutione ſubterlabebatur in humidam naturam, ineffabili vultu tum exagitatam, &c. Splendoris Domini præſentia abyſſi timuerunt & conturbatæ ſunt. Pſal.* 77.17. Hoc enim idem quoque de Tenebris primordialibus, quæ præſentia Domini perturbatæ ſunt, & deorſum pulſæ, verum eſt. Habemus ergo jam fundamenta & radices duas naturæ, per conſenſum Philoſophorum & Prophetarum ex tenebris extractas, quæ quidem pyramidum mearum baſes oppoſita ratione propter naturarum ipſarum diverſitatem in mundo poſitam, ſeſe habent. Quid enim magis contrarium exiſtimabimus, quam eſſe & non eſſe, Actum & potentiam Dei, revelationem ejus & occultationem, lucem & tenebras, diem & noctem, motum & quietem, calorem & frigus, &c. Nam omnes has contrarietates à contrarijs radicibus oriri neminem ſapientem latere exiſtimo: Horum autem medium eſt natura aquea, ſeu natura humida, ſeu *Pan*; quæ, quatenus Chaos ſeu tenebrarum ſoboles, patitur lucis ſeu *Dæmogorgonis* actus; qui variationes in Elementis atque cœlis ipſis procreare ſolet. Et jam ab Harmoniæ primordialis ratione, quæ in radicum proportionibus conſiſtit ad Harmoniam mediam, quæ in quadrato, ſeu in medio elementari ſymphoniace agit deſcendemus: Quæ quidem elementa, licet vulgariter loquendo, pro 4. regionibus ſublunaribus accipiantur, attamen in rei veritate ubique per mundi univerſi expanſum reperiuntur; utpote in quorum ſubſtantijs lux vel magis, vel minus abundat; uti *lib. 1. Hiſtoriæ Macrocoſmi Phyſicæ cap.* 9. luculenter declaratum eſt; videlicet in cœlo Empyreo, in angelis, in ſtellis tam Zodiaci, quam erraticis, & in inferioribus, imo vero in rebus omnibus tam ſimplicibus, quam compoſitis; ſed modo diverſo in ſimplicitate ſeu puritate, vel groſſitie & impuritate, qui fit propter abundantiam aut inopiam præſentiæ & actus lucis ſecretæ. Quod autem baſis pyramidis mundi formalis ſit cum Deo continua ex eo declaratur, quia Deus eſt fons actus, formarum & lucis omnis pater. *Sapientiam* enim *creavit creator ante ſeculum, & in ſeculum minime defectura eſt, in tentorio ſancto coram ipſo miniſtrat, Eccleſiaſtici* 24. 10. Eſt vapor virtutis potentiæ Dei, & fluxus ſeu emanatio quædam claritatis Omnipotentis Dei ſincera; Candor & ſplendor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula divinæ Majeſtatis, & *imago bonitatis illius. Sap.* 7. *Hanc poſſidebat Iehova principio viæ ſuæ, ineſtque in mundo cuncta componens. Proverb.* 8. *Hac quidem cœli firmati ſunt, & Spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum Pſalm.*33. Hoc eſt illud *Verbum*, quod *ex ore Iehovæ procedit.* Prov. 2. 6. *quo omnia in mundo facta ſunt & continuata, & ſine quo nihil, cum in eo ſit vita, Ioann.*1. Hæc eſt ea, quæ trahitur ex occultis, hoc eſt, de tenebris, quæ *ſunt tugurium Dei; ipſe intelligit viam & locum ejus. Iob.* 28. Porro quod *fluxus Sapientiæ hujus ſit permanens cum Deo, à quo tanquam à fonte emanat, & nihilominus cum eo continua eſt, & indiviſibilis*, indicat *Iob.* 11. 6. Unde, cum certum ſit, quod iſta formæ emanatio ſit fluxus à fonte lucido, ſeu ipſo regno superſubſtantiali, quod pater ſua præſentia implet, cujus reflexio in mundum ſeu emanatio lucida eſt ſapientia primogenita ante aliam creaturam, juxta illud *Pſalm.* 84.12. *Deus eſt ſol & ſcutum dans vitam ac gloriam*; quæramus jam ubi loci in fabrica mundana inveniatur illa lucis mundanæ baſis, quæ eſt in mundo, & mundus eam non comprehendit; an ſcilicet in centro medio ſemidiametri, vel peripheria. Dicitur *Pſalm.* 68. 34. Quod *Deus inſederit cœlo cœlorum antiquorum*; Et *Deus è cœlis in terram proſpexit, Pſalm.*102.20. Et *Deo Iehovæ quis in nube ſuperiori par exiſtimatur? Pſalm.* 89. 9. Et *Deus altiſſime habitat, qui infima perſpicit in cœlis & in terra. Pſalm.* 113. 5. (hic ejus proſpectus eſt emanatio ſplendida.) Quamvis *Deus Iehova elatus ſit*, tamen *depreſſum aſpicit. Pſalm.* 138. 6. Hinc igitur dicitur (ut ad rem redeamus) quod *Deus Sapientiam ſuam emittat è ſanctis cœlis; à throno gloriæ ſuæ mittit illam. Sap.* 9.10. Et Sapientia in eccleſia altiſſimi os aperit, & coram potentia ejus gloriatur, dicens; *Ex ore altiſſimi proveni, & tanquam nebula cooperui terram. Eccleſiaſt.* 24.2. *Ego in excelſis locis tentorium habui, & fuit thronus meus columna nubis; Rotunditatem cœli circumivi ſola, & in profunditate abyſſorum ambulavi, in fluctibus maris, & in terra tota. Ibid.* Unde liquet, quod ipſius potentia & vis ſit ubique. His igitur conſideratis, certum eſt, ipſam *Sapientiam*, quæ eſt *Tetragrammati virtus* ſeu *emanatio*, tendere à circumferentia mundi deorſum verſus centrum; videlicet à fonte lucido in cacumine cœlorum ſito proportionaliter deſcendit à circumferentia machinæ verſus terram ſeu centrum. At jam, ſi baſin huic in natura oppoſitam reſpiciamus, videbimus, ipſam occupare machinæ meditullium: Nam juxta *Pſal.* 18. 12. *Splendoris ejus præſentia evanuerunt nubes tenebroſæ, fontes aquarum facti ſunt viſibiles, & fundamenta mundi revelata ſunt.* Unde Mercur. Triſmegiſt. *Vmbra horrenda obliqua revolutione ſubterlabebatur aſpectu luminis divini Pimand.* 1. Hinc patent, quod tenebræ fugiant à luce: At, quia lucis fons erat in ſummitate cœlorum, idcirco probabile eſt, quod tenebræ centrum rotundi, tanquam locum à centro remotiorem petebant quietum. Et *aquilonem extendit Deus ſuper inane & vacuum,* (hoc eſt, poſuit cœlum, ubi tenebræ ſeu terra inanis ac deſolata erat) *& ſuſpendit totam terram ſuper nihilum*, h. e. in centro ſeu medio totius cœli ſine fulcro: Id quidem, quod declaratur amplius hiſce verbis; *Quis numeravit cœlos in Sapientia, & quæ deſcendunt de cœlis quieſcere facit? Cum deſcenderet pulvis in duritiem illam & glebæ ſibi invicem adhærerent, Iob.*38. 37. Quid hoc planius, quam quod tenebrarum ſeu aquarum fæces atræ & ſiccæ ad machinæ centrum ceciderint & ibi conſederint? Nam juxta illud *Geneſ.* 1. *Terra erat omne iſtud aridum, quod poſt congregationem aquarum viſibilium infra cœlum in locum ſuum deſtinatum, conſpiciebatur*, ut caput mortuum poſt deſtillatio-

nem

nem aquæ denſæ atque perturbatæ. Atque hoc idem videtur Mercurius Triſmegiſtus ſic confirmare. *Pim. 3. Floruit ſplendor ſanctus, qui ſub arena humida elementa deduxit, graviaque tenebris ſubmerſa ſub arena humida reſederunt.* Quid, inquam, eſt hoc liquidius? Ex horum igitur locorum teſtimonijs concludimus, quod, ut fons & baſis formæ lucidæ ſeu lucis formalis eſt thronus altiſſimi, in cœlorum cacumine & apice ſublimatus, ſic etjam ejus oppoſitum ſit in ſede ſeu loco ab ejus actionibus remotiore: Et per conſequens, ut baſis pyramidis lucis eſt à throno & ſolio ipſius Dei patris luminis, ſic etjam baſis pyramidis tenebrarum eſt à ſcabello pedum ipſius; atque ita ſubjectum pyramidis hujus baſis in terra eſt materia groſſa ſeu aquoſa, quæ eſt paſſivum illud, in quod pyramis formæ ei proportionalis agit: Nam qualis eſt forma, talis eſt etjam materia; quoniam materia ita ſe habet in proportione, ut ipſa forma; quæ eam facit talem eſſe; qualis exiſtit. Unde erroneam eſſe dicimus illam Joannis Keppleri aſſertionem, qua ponere voluit *Text. 20. Pyramidem formalem materiali proportione inæqualem.* Quis enim ſibi conſtans de figura pyramidis Phyſicæ formalis dubitare poteſt, ſequendo has naturæ proportiones, Terra ponderoſa, ſpongioſa; Argentum vivum, aqua metallica, aqua ſalſa, aqua dulcis inſipida, nebula, nubes, vapor, aer, exhalatio, ignis, Spiritus æthereus multorum graduum, Spiritus Empyreus, ubi videlicet pyramidis materialis conus deſinit, quatenus materia ulterius depurari non poteſt? Hujus igitur pyramidis conus in centro baſis formalis deſinit: Si enim lux primo die creata eſt, hocque ante cœli medij creationem; quonam in loco exiſteret niſi in aliquo cœlo tertio & omnium ſupremo? Si in eo lux totius mundi creata eſt, nonne veriſimile eſt, ejus ſpiritum eſſe in ultimo puritatis gradu; cum lucis etjam minimæ ſit agere, & agendo movere, ac movendo calefacere, & calefaciendo ſubtiliare quod ſpiſſum exiſtit? O quam purum & ſubtilem oportet eſſe ſpiritum illum, qui lucis tantæ, & tam jucundæ, ac divinæ eſt receptaculum? Nonne videmus quotidiana experientia ſeu demonſtratione à poſteriori, quod virtute ignis inferioris ex vino Spiritus, qui quinta eſſentia ob ſuam ſubtilitatem dicitur, oriatur; quippe qui talis ſit ob perfectum lucis ſuæ internæ calorem, primumque dignitatis locum ſibi vendicat inſtinctu naturali, cui ſi actus ignis adhibeatur, ſuaviſſimum lucis divinæ actum imitabitur, ardendo; videlicet ſine ulla aut carnis, aut lintei, aut chartæ læſione ſeu nocumento. Poſt hunc naturaliter aſcendit Spiritus vini igneus, qui ob denſitatem ſuæ ſubſtantiæ ardendo comburit & lædit; quoniam plus materiæ habet & minus formæ igneæ; quare propter validam materiæ reſiſtentiam lædere ſolet; Huic ſuccedit ipſius tartari oleum, quod aeri comparatum ardet, ſed more magis violento atque rapido: Huic ſuccedit phlegma; deinde Salis tartari diſſoluti liquor, & tandem fæx totius. Non ne videmus hic ordinem totius naturæ quam exactiſſimum etjam in parvula creatura emicantem? Et tamen dubitare debemus de actione & paſſione harum pyramidum, lucis videlicet & tenebrarum materiæ humidæ, cum ſubſtantia formalis ignis terreſtris ſit eadem cum illo cœleſti, à quo deſcendebat ab origine. Nunc etjam, quod notatu dignum exiſtimamus, videmus cœlum, elementa, & terram in hac unica creatura. Nonne inveniuntur cœli omnes in proportione tam in ipſa terra, quam in cœlo mundi æthereo ac empyreo? Imo vero, ſi recte me intellexeritis, *Deus in ſummo cœlorum cacumine regnans eſt tamen cujuslibet rei & mundi partis centrum; cujus nihilominus circumferentia eſt extra omnia.* Capiatis ergo me utroque modo in ſenſu ſuperiori, vel ſcilicet more vulgi, vel myſtico; nihil refert hoc in loco: Nam Epiſcopus dicitur dignitate exaltatus, quamvis non recedat in ſtatione ſua à terra: Terra enim in cœlum depuratione converti ſolet, & imperfectum elevatur in perfectionem ſine conſideratione menſuræ linearum; ſecus videlicet, quam Joannes noſter Mathematica doctrina repletior, quam vera Phyſices eruditione inſtructus, opinatus eſt, qui omnes unitates lineis commenſurari inſulſe putat. Nonne videmus in ipſo homine cœlum & terram? & tamen terra eſt exterius, cœlum vero interius: attamen nihilominus cacumen cœlorum eſt, ubi puriſſima & ſimpliciſſima mens habitat; cui nihilominus terra dicitur centrum, quatenus terra longius diſtat à circumferentia ſeu cœlo; Et ſic Dei puritas quam longiſſime diſtat ab impuritate terræ tenebroſæ. Sed ad rem redeamus. Videmus, quod res quælibet naturaliter tendat ad patriam ſuam: Nam ut grave deorſum tendit, & ibi requieſcit, ſic ignis ſurſum tendit, & in ſuo motu ſecundum ſuæ naturæ conditionem pyramidem facit, ut in candela videmus: Quæ quidem figura in materiæ fumoſæ aſcenſu magis conſiſtit, quam in lucis puræ natura: Et tamen talis eſt ea forma, quoniam naturali inſtinctu eam talem fecit diſpoſitio formæ. Quid autem nos intelligamus per pyramides phyſicas *libro* quodam huic ſoli rei deſtinato explicuimus *in fine hiſtoriæ technicæ Microcoſmi.* Rationes autem harum pyramidum ex Rabbi ſapientibus, ac aliunde accepimus: Nam in *libro De porta lucis cap. 2.* dicitur, *quod omnia vitam habentia ſurſum ſuo inſtinctu tendant,* hoc eſt, ad perfectionem; *& omnia vitam infundentia deorſum ſemper vergunt.* Hinc ergo materiæ appetitus ſurſum verſus formæ palatium tendentis, formæque influentis officium ſat liquido declaratur. Porro conſiderando hæc in dignitate & vilitate ſubjecti ſic pyramidum harum poſitiones deſcribit Reuchlin: *Sublimatio metallorum fit, cum id, quod generoſius eſt, in altiores ſpiritus ebullit ab Alchymia ſublimatum, ut puriora ea ſemper videantur quæ ſunt ſublimiora: Sic etjam apud inferos dicuntur eſſe livida & ſquallida, ſordibuſque depreſſa; quæ apud ſuperos candida & illuſtria, incredibilique decore ornata miramur & præconijs laudum proſequimur. Hæc ille.* Et certe, ſi ab imperfectione ſumma ad pluſquamperfectionem actu lucis procedatur, ibi gradus quidem & proportiones harmoniæ eaſdem, et-

jam in parvula creatura ex abyſſo perturbata exiliente, inveniemus, quas in ipſo Macrocoſmo; atque medietas motus à baſi ſquallida ſeu imperfectionis ad exaltiſſimam illam lucis divinæ cum Deitate continuæ, erit ſedes ſeu gradus perfectionis, ſeu ſedes animę mundi tam parvi quam magni, per quam ſphæra æqualitatis tranſit; ubi proportio dupla fit, ſeu chorda Monochordi in medio preſſa ſonat Diapaſon ad terminum à quo ſeu baſin terræ ſeu imperfectionis, & ad metam perfectionis, quæ contigua eſt cum Deo; ita ut proportio à termino à quo ad medium ſeu locum Solis ſit reſpectu totius chordæ, à terra ad Deum pertingentis, ut 1. ad 4. vel, ut Diapaſon ad Diſdiapaſon, vel ut 1. ad 2. At vero intelligat velim Joannes Kepplerus, quod in menſura iſtius chordæ non opus ſit menſuris linearum, ſeu proportionibus mathematicis, ſed mere phyſicis & formalibus, ſine quibus in Muſica naturali progredi impoſſibile eſt. Hoc quidem innuere videntur Chymici, ſed ſermone ænigmatico, quod *omne naturaliter fugiat ab adverſario, ſimili vero delectetur*: Unde concludunt, quod Sol ſeu Sulphur nihil aliud ſit, quam purus ignis in Mercurio occultatus, dicuntque, quod pondera & proprietates ejus ſint reſpectu ſulphuris exiſtentis in Mercurio: Nam elementum ignis, quod in Mercurio crudo non dominatur, tam in Macro quam Microcoſmo & alijs creaturis, imo quidem etjam in ipſo pomo maturo hoc ipſum eſt, quod materiam digerit. Quapropter omnis, qui circa veram Philoſophiam verſatur, ſcire debet, quanto ſubtilius ſit elementum ignis alijs elementis, & quanta proportione valeat iſta vincere; Pondus ergo eſt in prima elementari compoſitione Mercurij & non in alio quovis opere. Simili plane ratione fit compoſitio pyramidum noſtrarum naturalium in magno & minori mundo, talibuſque proportionibus adaptatur harmonia vera utriuſque. Accipit ergo Sol lumen ſuum per Diapaſon à Deo, per Sapientiæ Spiritum, & ipſe dona Sapientiæ per Spiritum mundanum diſpergit. Atque hæc harmoniæ chorda eadem eſt in ipſo mundo, quæ in creatura unius pollicis; Nam progreſſio à ſummo imperfectionis gradu ad ſummam perfectionis metam per mediocriter perfectum ineſt tam in re minima, quam maxima: In imperfectiſſimo enim gradu minima eſt lucis, ſeu ignis, ſeu ſulphuris portio: & ita progreditur ignis portio paulatim vincendo materiam, quouſq; totam materiam vertat in naturam igneam ſeu ſolem ſupremi gradus. In microcoſmo eſt altior Sapientiæ gradus, quam in alia creatura quacunque; & proinde ad perfectionem divinam facillime reduci poteſt gratia aſſiſtente. Hinc inquit Reuchlinus: *Hominem meliorem naturam Deus, ut extat ſacratiſſima ſcriptura, ex duobus compoſuit, limo terræ & ſpiraculo vitæ, ut limo indutus prudenter corpora curet, & ſpiraculo vitæ præditus ſapienter amet divina, & ad ea adſpiret. Et Mercur. Triſmegiſt. dicit; Magnum miraculum eſt homo, animal adorandum & honorandum; nam tranſit ipſe in naturam Dei. Et D. Paulus inquit; Ex corruptione aſcendet ad incorruptionem, è mortali fiet immortalis: Hinc quidem Adam, qui fuit radix totius generis humani, infectus omnes ramos & folia arboris infecit, juxta illud, Romanorum. Radix amaritudinis ſurſum germinans impedit, & per illam inquinantur multi: At radix ſancta ſanctos ramos producit; atque talis erat Adam ſecundus; quæ radix deſcendit, & movetur contra radicis inferioris motus. Adam enim terreſtris movetur contra Adam cœleſtem. Hæc Archang. in ſuo dogmate Cabaliſtico.* Quibus dictis inſinuare videtur, internum ſeu formalem illum motum, quem nos pyramidalem fecimus, in externum talem ipſius hominis. De Macrocoſmi autem actu deſcendente, & paſſivo aſcendente ſic loquitur; *Quicquid diſtat à Deo actu primo & puriſſimo, neceſſe eſt ſubintrare materiam; Unde naturales deſcribentes entium latitudinem in ejus cacumine faciunt actum purum abſque materia; in imo eſt materia abſque forma. Hæc ille*: Per materiam ergo abſque forma intelligit terram per ſe inanem, & per accidens fœcundam, quatenus Dei & Sephirotharum influentias emiſſas ſuperne accipit, earumque receptaculum & quaſi matrix eſt; ex cujus ventre materia fumoſa gradatim aſcendens ſemper eo magis dilatatur, quo magis ſurſum tendit; hocque propter ejus incrementum in proportione actuum lucidorum, cujus eſt tendere ſemper ad depurationem & ſubtiliationem: Quare, ut materia in puritate ſe habet, ita quidem de proportione formæ ei inhærentis judicare ſolemus: Nam naturæ agentis proportionem ſolo effectu videre poſſumus, & non aliter; quia eſt *ignis inviſibilis* Zoroaſtris & Heracliti; de quo *Iob. 28. 12. Trahitur Sapientia de occultis, abſcondita eſt ab oculis omnium viventium; Volucres quoque cœli latet.* Concludimus igitur, ut antea dictum eſt, quod, ut anima dicitur eſſe in toto & qualibet parte totius, ſic etjam pyramidalis materiæ phyſicæ progreſſio arguat, talem formam internam ei ineſſe, qualis ipſa eſt; Et per conſequens inconſulte locutus eſt ille Muſicus mathematicus, ubi dixit, *formalem pyramidem materiali eſſe inæqualem*: Nam qualis eſt diſpoſitio materiæ, talis etjam eſt proportio formæ; utpote cujus eſt, tale facere materiam, quale ipſa eſt. At materiam in aſcenſu ſuo habere progreſſionem pyramidalem phyſico modo intellectam certum eſt; quatenus aqua eſt terra in decupla proportione ſubtilior, & aer aqua, aere autem ignis, & quinta eſſentia ſeu materia cœli igne: & ſic in cæteris: quin etjam in quolibet elemento ſunt infiniti ſubtilitatum gradus, quos hoc loco recenſere impoſſibile eſt. Hinc ergo liquet, quam futile ſit illud Joannis argumentum, quo probare conatur, nullam eſſe in re naturali unitatem, quæ lineis ijſdem menſurari non poteſt; quaſi vero idem terræ pugillus in aquam converti non poſſit, ubi unitates differunt propter dilatationem unius, & conſtrictionem alterius more mathematico, & tamen phyſica ratione ſunt eædem conſideratione ponderum philoſophicorum: Nam major ignis ſeu ſulphuris proportio ſubtiliorem arguit ſubſtantiam, minor groſſiorem; ita ut tam in ſubtilitate quam groſſitie,


tam

tam in perfectione quam imperfectione conſiſtant proportiones identitatis in rebus Phyſicis; quæ aliter ſe habent in Mathematicis. Et tamen mathematico more, hoc eſt, pyramidibus mathematicis illud demonſtravi, & unitatibus ejuſdem; quia impoſſibile erat proportiones phyſicas ſuo ordine apte explicare; tam in ſuo motu ſunt infinitæ. Ex his pyramidibus ſimul mixtis, tanquam ex 4. elementis univerſalibus componitur Cubus in re Phyſica, ſeu fit corpus compoſitum in numero octonario conſiſtens, quod propria ſua natura eſt terra ſeu lutum, vel compactum aliquod ſimile ſive in cœlo ſublunari, ſive cœleſti. Atque in hac ultima harmoniæ mundanæ ſpecie duplex eſt ſubjecti & motus ejuſdem differentia, qua illud fertur vel ad generationem vel ad corruptionem vel ad augmentationem vel ad diminutionem. (Cujus quidem effectus in rebus compoſitis regni tam animalis & vegetabilis, quam mineralis aſſidua experientia declaratur;) Vel qua ſemper quidem tale manet, quale factum eſt in creatione, ſed vitam aſſidue ſuſcipit & motum à Sapientiæ divinæ actu ubique in mundi cavitate ambulantis: Vitam, inquam, ſuſcipit, qua exiſtat & continuationem habeat in rerum natura; motum autem vel manifeſtum vel occultum obtinet, ut officio illo, ad quod à Creatore ſuo creatum & deſtinatum eſt, fungatur: Cujus generis ſunt in ſublunaribus corpora mineralia, utpote quæ vita occulta viuunt, & hoc officij habent, ut homini inſerviant; in cœleſtibus vero corpora ſtellarum, quorum officium eſt, ut interdiu dominante Sole diei dominium habeatur, tenebræque nocturnæ in lucem diurnam tranſmutentur; dominante autem Luna cum cæteris ſtellis, ut nocti tenebris infeſtantibus obvelatæ lumen detur, atque ut ſigna temporum, dierum, & annorum fiant; eorumq; motus in illa comprehenduntur Harmonia; quæ à ſympathia elementorum univerſalium non aliter emanat, quam hæc ab Harmonia trina, ſimplici, & primordiali. Continetur ergo concentus ſtellarum in Cubica harmoniæ ſpecie, quæ fit ſecundum lucis in corporibus ſtellaribus prædominationem majorem vel minorem; cujus eſt juxta dictas proportiones vel velocius vel tardius movere corpora, quibus ineſt, eaque altius vel depreſſius collocare in æthere & ejuſdem orbibus. Sic enim videmus, quod tormentum bellicum pulvere bombardico magis oneratum longius & citius globum ſuum ferre ſoleat, & fuſum artificiale ſecundum majorem pabuli ſeu flammæ ſuæ proportionem altius vehi verſus cæli regionem. Sunt igitur hi motus durabiles, corporaque, quibus inſunt, natura quoque talia. At vero, quoniam ſtellarum motus procedit ab ipſis cœli elementis, ideo liquet, quod harmonia etjam exinde procedens ab ipſis elementis derivetur; quippe in quibus rerum natura ſeu Sapientia deliteſcebat, priuſquam ſtellæ creabantur; nam neceſſe eſt, ut principiatum ſequatur principium, ſicuti filius patrem, atque etjam elementum elementatum: Uti enim abſurdum eſt vitæ patris ortum attribuere filio, ita quoque non minus abſurdum eſt elementorum harmoniam ipſis Planetis, qui elementata ſunt, applicare. Atque ſi aves ſcire ex ſacri fontis teſtimonio, qualis ſit hæc elementaris harmonia, & quiſnam ſit motus, à quo oritur, lege *caput 19. & ultimum Sap. à verſ.* 17. ubi verba hujuſmodi reperies, motum & Muſicam elementorum luculenter aperientia: *In ſe enim dum elementa convertuntur, ſicut in organo ſiue Pſalterio qualitatis ſonus immutatur* (non dicit quantitatis) *& omnia ſuum ſonum cuſtodiunt; Vnde æſtimari ex ipſo viſo certo poteſt: Terreſtria enim in aquatica convertebantur, & quæcunque erant natantia in terram tranſibant, ignis in aqua valebat ſupra ſuam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliviſcebatur &c.* Ubi quidem vim atque harmoniam elementorum percipere licet; in qua tamen harmonia nulla penitus mentio fit de illa Planetarum: Imo vero hujuſmodi elementorum actio & paſſio harmonica longe ante quartum creationis diem vires ſuas in pyramidibus mundanis exercebat; ſiquidem rotatio erat unius elementi in aliud, per quam motus fiebat ab immaturitate plantarum verſus perfectam maturitatem per motum & proportionem incrementi ſulphuris in Mercurio, ſeu ignis in aqua tam tenui quam ſpiſſa, atque à numero ſimplici ad ſpeciei multiplicationem per ſeminaria creata. Unde, inquit Deus ante diem quartum, alloquens ſuam Sapientiam: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, & habens unumquodque ſemen ſecundum ſpeciẽ ſuam: Et vidit Deus, quod eſſet bonum.* At ſi hæc harmonia infuſa eſt in compoſitas haſce creaturas poſt elementorum creationem, multo magis Deus ipſis elementis vim harmoniæ ſimilem infudit: Unde dictum eſt poſt Spiritus divini apparitionem; *Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona; Et fecit firmamentum, quod vocavit cœlum: Et dixit Deus, congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, & appareat arida, & vocavit aridam terram &c. Geneſ.* 1. Nonne eſt hic admirabilis elementorum harmonia in organo mundano, cujus flator erat *Elohim*, ſonus vero ſeu vox, *Verbum* ab ore ejus, atque harmonicarum conſonantiarum virtutumque ab ijs promanantium adaptator, Spiritus ille igneus ſeu forma harmoniæ mundanæ à ſpiratore & voce procedens, virtutem & actum cuilibet elemento in ipſius gradu, & ſecundum materiæ ejus dignitatem infundens. Quod quidem peroptime his Pſalmiſtæ Regij verbis declaratur *Pſalm. 33.6. Verbo Domini firmati ſunt cœli, & ſpiritu ab ore ejus omnis virtus eorum.* Ab hoc ergo Sapientiæ ſpiritu procedit totius mundi Harmonia attribuens ac conferens cuilibet ſpeciei virtutem ſecundum proportionem ejus à Creatore in creatione ordinatam ad legitimam officij ejus executionem. Nec quærendus eſt hic ſpiritus in cœlo vulgari modo accepto; quippe qui eſt ubique in mundi expanſo, & ubiq; ſemper operatur, juxta illud Matth. *Cœlum eſt thronus ejus, & terra ſcabellum pedum ejus*; Et *Sap. 1.6. Spiritus Domini implet orbem terrarum, quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* Hic ergo eſt verus naturæ Sol, vi-

vitam & gloriam mundo & creaturis ſuis dans, cœlorumque exercitus ſua præſentia fovens, atque movere faciens, cujus tabernaculum occultum eſt in centro elementorum ejus, radij vero ſymphoniaci paſſim penetrantes & ubique præſentes. Jam ad mundi ſeu quatuor elementorum univerſalium in partes ſeu tres cœlos diviſionem deſcendamus: Namque poſt numeri binarij in ſuum quadratum & Cubum extenſionem ſequitur numerus ternarius, includens numerum illum imperfectum & materialem cum unitate primordiali, quo duæ unitates ſic confuſæ in unum numerum, qui eſt perfectorum radix, redigatur: Sic etjam ejus proprietas in mundo ſequitur naturam aqueam in Elementa diviſam. Quare ſecundum proprietates divinæ Trinitatis mundus in regiones tres materia unitatum phyſicarum non differentes diſtinguitur: Quas quidem diſtinctiones ſapientia produxit cujus ſpiritus erat gluten inter aquam & lucem, ſeu ſoboles potentiæ divinæ actuſque ejuſdem: Nam actus eſt ille effectus lucis, quo materiæ unitas una ab alia differt. Atque iterum quodlibet horum cœlorum in tres alias regiones ſubdividitur; ut cœlum Empyreum in tres hierarchias, & iterum quælibet earum in tres alias portiones, angelorum ordinibus attributas: & ſic in cæteris: Eſt enim hoc negotium & officium ſpiritus ignei, qui diſtinguit omnia primum per ſuam radicem 3. in quadratum 9. (quippe in quot regiones quodlibet cœlum dividitur) & deinde in Cubum 27. quæ ſecundum Platonicos eſt menſura mathematica totius ſemediametri. Ternaria ergo diviſio eſt ex parte animæ ſeu virtutis Tetragrammati informantis, & Binaria progreſſio ex parte materiæ informatæ: Nam elementa univerſalia producta ſunt immediate poſt divinæ potentiæ in actum reductionem; At cœli die ſecundo & tertio fuerunt completi. Pro cœlorum multitudine teſtimonia habemus ex ſacris literis: *Cœlos ſtatuit Iehova ſua ſapientia Proverb.* 3.19. *Cœli cœlorum ſunt Dei Deorum. Deuter.* 10.14. *Cœlos cœlorum fecit Iehova, & omnem exercitum eorum. Nehem.* 9. 6. *Cœli cœlorum, & aquæ, quæ ſupra cœlum ſunt, laudant Deum, Pſalm.* 148. 4. Ex quibus liquet, quod ſit cœlorum numerus, qui videtur eſſe ternarius; quorum cœlorum primum primi diei opus erat: Nam in quo loco poneretur lux, niſi in ſuo proprio cœlo Empyreo, quatenus nec æthereum nec ſublunare adhuc creatum erat? Nonne etjam dicit Paulus, *ſe in tertium cœlum fuiſſe raptum, ubi mirabilia & ineffabilia ſe vidiſſe* fatetur? At ille nihilominus vult, univerſam mundi harmoniam ab extremis motibus Planetarum provenire: qui quidem motus ſunt circulares, & per conſequens aliquam harmoniam in gradibus diſtantiæ inter unum machinæ mundanæ ſemidiametri terminum & alterum inveſtigari negat, ut apparet *ex textu* 18.19.20. Verum tamen percipiemus, quod Plato in *ſuo Timæo* ad mundi formationem & menſuram uſus ſit numero ternario, qui primus eſt numerus impar pro mundi compoſiti radice quo in regiones diſtinguatur; cujus quadratum eſt 9. eſt Cubus 27. Quo quidem numero metitus eſt mundi orbium rationem, inde concludens, quod, quo magis proceditur à periphe[ri]a, eo ſpiſſior ſit ſubſtantiæ mundanæ gradus, non aliter quam à radice verſus Cubum in corporis profundum ſit progreſſus. At vero, quoniam in 27. tres reperiuntur numeri novenarij, idcirco hoc modo eos diſpoſuit Plato ad ſuum Cubum, quo metitus eſt mundi ſemidiametrum, 9.9.9. Cui, ſi Aleph addatur, quod unitatem importat, numerus millenarius efficietur, ultra quem non eſt progreſſio. Unde, ut Hebræi *Aleph parvulum* habent pro rerum omnium unitate & termino à quo, ſic *Aleph magnum* denotat numerum millenarium, qui eſt terminus ad quem. Hinc *Deus unus* dicitur *Alpha & Omega, principium & finis*: Nam numerus denarius eſt radix numeri millenarij, qui eſt Cubus, cujus quadratum eſt 100. Unde quam aptiſſime delineavit Plato mundi fabricam in numero millenario nempe 9.9.9. In quibus quidem dimenſionibus formalibus totam Muſicæ mundanæ harmoniam poſuit ipſe: Cui etjam aſtipulari videtur Franciſcus Georges Venetianus, qui in eodem ſubjecto integrum, imo vero & magnum complevit Volumen, doctiſſimeque ſcripſit. Primum igitur numerum novenarium Hebræi ſtatuunt eſſe numerum ſimplicem, quatenus ſub 10. continetur; & proinde volunt, ut ſit propter ſimplicitatem ſuam numerus formalis & eſſentialis, eumque novem Angelorum ordinibus attribuunt, qui ſunt in mundo intelligibili: Quorum quidem ordinum differentia denotat varietatem graduum & harmoniæ, qua unus præcellit alteri in proportione & diſpoſitione. Atque in hanc ſententiam ceciderunt D. Dionyſius, Iſidorus, & alij Theologiæ patres. Anne ergo hæc harmonia à Planetarum motibus? Secundus denariorum ordo, quatenus in quadrato ſeu numero centenario reperitur, de materia ſpiſſiori participat: Unde hiſce attribuuntur cœli 9. Tertius denique in Cubicum numerum ſeu millenarium deſcendit, quatenus magis eſt materialis & compoſitioni propinquior, in quo continentur 9. genera generabilium & corruptibilium in mundo elementari. Hunc quidem à ſimplicitate ad compoſitionem deſcenſum, & in deſcenſu harmonicam inter unam ſphæram & alteram propagationem agnovit Plato & cæteri ſapientes: Quæ quidem metrica mundi harmonia non attribuitur Planetarum motibus; quippe qui ad ſuam harmoniam faciunt, ſibi ipſis tanquam creaturis particularibus propriam, ad ſonumque in mundo officia eorum pertinent, & non ad univerſum mundum, utpote cujus harmonia in majori vel minori proportione lucis æternæ in ſpiritu mundano, ſeu, Chymice loquendo, ſulphuris gradus in Mercurio conſiſtit. Porro etjam hunc ab unitate deſcenſum in numero novenario ipſe Author in *præom. lib. ſui* 3. agnoſcit fuiſſe opinionem ipſius Pythagoræ, qui in ſuo Tetractij facit materiam mundi deſcendere meo more ab unitate in numerum parem à radice 2. per quadratum 4. ad

Cu-

Cubum 8. atque etiam ipſam formam eadem harmonia cum materia ab unitate in numerum impa-rem; atque ita harmonica mundi progreſſio fit à ſimplicitate ad multitudinem hoc modo:



Hic, incipiendo à numero binario, bis 2. ſunt 4. bis 3. ſunt 6. bis 4. ſunt 8. bis 6. ſunt 12. bis 9. ſunt 18. Tunc procedimus ad numerum ternarium, & dicimus, quod ter 2. ſunt 6. ter 4. ſunt 12. ter 6. ſunt 18. & ter 9. ſunt 27. Ex primo ergo triangulo 1. 2. 3. primam & ſimpliciſſimam compoſitionis ſpeciem concipimus, quæ fit ex cœli Empyrei elementis, eſtque illa, quæ in radicali numero conſiſtit angelo-rum: Ex ſecundo triangulo 1. 4. 9. compoſitionem ſpeciei ſecundariæ colligimus, videlicet ex ele-mentis æthereis; eſtque ſtellarum, in numero quadrato contenta: In maximo autem illo 1. 8. 27. mun-dus univerſus cum ſua baſi conſiſtit, qui denotat compoſitionem ex elementis ſublunaribus, ex qui-bus corpora imperfecta, qualia ſunt meteora, & perfecte compoſita, qualia ſunt animalia, vegetabi-lia, & mineralia, conſtant: Ratio eſt, quia ex ſiniſtro latere elementorum ſubſtantia ordinatur, ex dex-tro autem eorum forma. Ubi videmus, quod 1. ſit autor numeri tam imparis quam paris æqualiter di-ſtributis utrique lateri. Nam ab 1. tanquam ab æterna potentia derivatur materia ex una parte, quę et-jam ab 1. inactuatur; Unde 2. fiunt 3. indeq; nexum atque unitatem lucis cum ſpiritu denotant in pri-ma elementorum compoſitione. Deinde in ſecundi trianguli latere ſiniſtro 1. cum 4. ſeu cum quadra-to materiæ jungitur, & fit ſecunda elementorum compoſitio; deniq; ab 8. deorſum reſpicit 1. & groſ-ſiora producit elementa tertiæ compoſitionis. In ſuprema ergo regione unitas conjungitur cum 2. ne-xu inviolabili, & fit anima angelica cum corpore tali per 3. ubi 1. eſt anima, & 2. corpus: In media 3. ſe permiſcet cum 4. & 2. & fit anima ſtellaris ac corpus tale ſecundum perfectionem numeri 9. ubi 4. & 2. arguunt 6. ſeu elementa corporea ſtellæ, & 3. cujus additione 9. ſeu quadratum numeri ternarij pro-ducitur, animam illius. Ex quibus ſat liquido conſtat, quod compoſitio angelica cœli ſuperioris, quæ in 3. conſiſtit, ſit anima corporum cœli medij: Unde Cabaliſtæ *mundi animam* dixerunt *Angelum Metat-tron*. Denique 4. & 8. faciunt 12. quo quidem numero corpus imperfecte mixtum arguere fas eſt, cui ſi corpus Planetarium addatur, nempe 6. compoſitionem completum ex elementis docet, videl. 18. cu-jus forma erit 9. ſive tota cœli compoſitio, quæ dicitur vita mundi inferioris, ſed modo occulto intel-lecta; atque ita completa erit creaturæ elementatæ compoſitio in 27. qui eſt finis tam mundi quam eorum quæ in illo creata ſunt. Eſt igitur proportio ſuperbipartiens ſecundas in elementorum conſti-tutione, ut 2. ad 1. 4. ad 2. & 8. ad 4. Similiter ad creaturarum procreationem proceditur in propor-tione tertias ſupertripartiente, ut 6. ad 3. & 12. ad 6. Et ad unionem creaturæ compoſitæ cum ſuis ele-mentis requiritur naturæ trinæ vis, quæ eſt elementorum ligamentum, ad quæ requiritur; & in progreſſione ſua ſimplici formali progreditur à radice 3. ad 27. & ratione compoſitionis, ut 18. ad 9. & 27. ad 18. Nam in hac quidem progreſſione ſe auget numerus novenarius ſemper per ſuam propriam dimenſionem quouſque ad radicis ſuæ cubum perveniat. Ex quibus vi-dere licet, quod anima cœli Empyrei, & angelorum forma ſit immediata emanatio ab 1. totaque hu-jus cœli compoſitio quaſi anima cœli medij, cujus eſſe quintum dicitur vita inferiorum; & tamen tam materia (cujus in multitudinem parem immerſio per ſiniſtrum Trianguli latus obſervatur) quam forma (quæ in latere dextro ab unitate ad multitudinem imparem deſcendit) originem habet in 1. adeoque totum tam formale quam materiale revera nihil eſt aliud, quam mere unum, quamvis quoad nos, videatur in multitudinem immergi. Hinc igitur dependet univerſalis mundi Harmonia: Hinc proportiones omnes oriuntur, quibus Muſica creaturarum adaptatur: In proportione enim dupla conſiſtunt 2. ad 1. & 4. ad 2. & 8. ad 4. ex qua Diapaſon, & ejus duplicitates conflantur; & per conſequens elementorum creatio, ex quibus mundus conflatur, ab ea oritur. In illa ſeſquialtera in-venimus reſpectum materiæ elementaris ad formam compoſiti; Sic 3. ſe habet in aſpectu ſuo ad 2. & 9. ad 6. & 6. ad 4. & 12. ad 8. & 18. ad 12. & 27. ad 18. Hinc formæ mixtio completa cum materia ele-mentari ſequitur. In proportione vero ſeſquitertia producuntur imperfecte mixta, ut ſonent inter materiam & formam ad complementum compoſitionis: Sic reſpicit 4. ad 3. 8. ad 6. & 12. ad 9. At-que ita completa eſt univerſa naturæ Harmonia à puncto ſupereſſentiali initiata. Ex figuræ ergo il-lius inſpectione atque obſervatione deprehendimus creaturas cœli Empyrei, hoc eſt ſummæ purita-tis creatæ, componi ex duobus, luce nempe & ſpiritu, ex baſis illius obſervatione, illas vero cœli medij ex tribus, videlicet ex duobus ſuperioribus & tertio ſpiritu groſſiori, uti ex baſi ejuſdem 4. 6. 9. conſtat; iſtud autem infimum ex 4. videlicet ex elementis ſublunaribus proportione auctis, ut ex baſi ejus videre licet. Sic ergo videmus, quod 2. proceſſit immediate ab 1. per duplicationem, ex quo, addita 1. fit 3. ſeu triangulus primæ compoſitionis, denotans

 alteri-

alteritatem, ſeu naturam angelicam; ad cujus ſpecimen omnes mundi particulæ ſunt conſtitutæ, juxta illud Jobi. *Quis jecit lapidem ejus angularem?* Stat itaque triangulus ut in ſuperiori loco 1. 2. 3. Ubi huic cœlo ſeu compoſitioni attribuuntur duæ primæ Tetragrammati literæ. י. ה: Deinde addendo via tranſverſa 3. ad 4. numerum ſeptenarium producit, Hominis vitæ attributum, ut Hexadem ejus corpori: Hinc dictum eſt; *Fecit hominem angelis paulo minorem. Pſal.* 8. Sed in ordine naturæ 1. 2. 4. ex uno latere & 3. 9. ex altero denotant Triangulum ſecundæ compoſitionis, qui ſe habet ad primum, ut quadratum ex radice: quare cœlum medium denotat cum corporibus ejus, quæ denſiores definiuntur eſſe illorum orbium partes. Ex quibus liquet, quod cœli utrique abunde reperiantur in homine interno: Reliquæ autem creaturæ ex profundioris animæ in materiam terram deſcenſu & compoſitione fiunt: Unde Ennadem accommodarunt ſapientes omnibus creaturis: Nam triangulus ad earum compoſitionem baſin profundiorem petit, & tunc ſic ſtabit 1. 2. 4. 8. ex una parte, & 1. 3. 9. 27. ex altera, ut ſupra. Unde primus triangulus eſt ut radix ad inferiora, ſecundus ut quadratum, atque infimus ut Cubus; tam in mundi cœlorum compoſitione; quam in creaturarum eorundem conſtitutione. Unde liquet, quod Harmonia univerſalis fiat deſcendendo, & nequaquam à circulari Planetarum motu; quippe qui non extiterunt in rerum natura, niſi demum poſt fabricam mundanam, quę gradatim facta eſt deſcendendo, ut ex ſcripturis ſacris elicimus: Atque ita conſtat exinde, quod intentiones Platonis & Pythagoræ longe aliæ fuerint, quam ut myſteria corporum quinque regularium adaptarent motibus Planetarum: quin potius ea referebant ad diſtantias elementorum ab invicem, quibus formæ & materiæ harmonia differebant propter proportionum varietatem. At vero Arithmetica & Geometria iſtiuſmodi, quibus hæc Harmonia fit, non ſunt vulgares, ſed vere formales, comprehenſę ſub hoc vocabulo Hebræorum *Ghematria*; quæ verſatur circa profundam meditationem Cabalæ, Magiæ naturalis, & Alchimiæ veræ, hoc eſt, ſcientiæ Elementaris, cœleſtis, & ſupramundanæ ſeu intelligibilis. Concludimus igitur, quod inprimis ſacras ſcripturas atque etjam rationes Philoſophorum præſtantiſſimorum, hanc noſtram de Harmonia mundana opinionem defendentes, habeamus, quæ omnimodo fundamentis Keppleri adverſari videntur. Habeo itidem ego exactiſſimam hujus Harmoniæ mundanæ demonſtrationem in experimento cujuſdam creaturæ nobiliſſimæ; in cujus anatomizatione hæc omnia oculis & animo obſervavi; quam quidem in fine & complemento operum meorum in lucem publicam ad commune beneficium edere mecum conſtitui. Quod quidem licet ſit ſecretum paruulum reſpectu arcani illius maximi, quod Celeberrimi Fratres de Roſea Cruce ſe intelligere fatentur; attamen, ut ipſi cœleſtem Angelorum panem (ſat ſcio) intelligunt & habent, de quo tanta ubique cecinerunt ſcripturæ ſacræ mirabilia, ſic etjam ego panis terreſtris ſecreta phyſica, à nemine hactenus, quod ſciam, percepta in publicum bonum Deo favente exponam, Tractatumque illum meum *Clavem Philoſophiæ minorem*, ſive *Experimentum oculare* nuncupabo; quia ad ipſorum arcanum rectiſſime pertinet titulus Clavis Philoſophiæ & Panſophiæ veræ, quæ ab illa Davidis haud differre videtur, uti ex ipſorum ſcriptis colligere licet. Quod denique ad Harmoniam Planetarum attinet, dicimus, illam eſſe ipſis propriam, & à Creatore ordinatam, ut in illius proportionibus, quibus naturaliter ipſi moventur, *ſigna ſint in ſtata tempora, & in dies, ac annos*, atque ut in *diurnis motibus, Solis* ſcilicet, *lux adſit terræ pro diurno tempore, ac diei dominetur; Luna* vero cum cæteris *ſtellis dominium de nocte* obtinēdi vim habeat. *Pſal.* 136. 8. In alium uſum non legimus eas in ſcripturis ſacris fuiſſe à Deo ordinatos; licet Sol cœli in acquiſita ſua perfectione mira præſtare videatur: Eſt enim ſola & unica Sapientia Sol ille præcellens, ſed per ſe inviſibilis; nocte & die ubique præſens, gloriam & vitam omni creaturæ exhibeus atque infundens liberaliter: Sine qua quidem ſtella matutina nulla eſt vera Aſtronomiæ ſcientia, nulle certa Aſtrologorum prædictio, aut Harmoniæ mundanæ recta cognitio.

Atque ita hunc ad Joannis Keppleri Appendicis partem ultimam, diſcurſum, licet non ut volui, attamen ut potui, non mea voluntate propria ad hoc opus invitatus, ſed alterius invidiæ ſtimulis incitatus, immenſis Deo Opt. Max. gratijs præeuntibus, fœliciter pertexui.

FINIS.